

Francisci Modii Brugensis Poemata

Franciscus Modius, Janus Lernutius

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIB

B.-L. 5415.

R 15975

F.V. Inv. Ch. Onghena Sc.

BL. 5415

FRANCISCI MODII BRVGENSIS POEMATA,

Ad

AMPLISSIMVM ET SPLENDIDISS:
ERASMVM NEVSTETTERVM,
cognomento STVRMERVM,
Equitem Francum,
&c.

ADEODATVS MARIVORDA FR. MODIO.

Si vera est Samij sententia nota, fuisse
Qui muros miles dicit ad Iliacos:
Intus, docte MODI, doctum transisse Catullum
Iurarim, & nullum viuere cum hoc alium.

WIRTZEBVRGI,
Ex Officina Henrici Aquensis, Episcopalis Typographi. M. D. LXXXIII.

INDEX POEMATVM MODII

ELEGIAE.
FVNERA.
SILVAE.
EPIGRAMMATA.
SACRA CARMINA.

Ad Lectorem.

Quot noſtra ludunt elegis ætate poetæ;
Hoc numeris faciunt, Naſo poeta, tuis.
At mihi nec docti ſpernuntur ſcripta Catulli,
Dura quidem, moeſtis ſed tamen apta modis.
Carmina nec Graio terſi lita melle Propertî;
Quique Tibulle, tuo, culte, nitore places.
Vtque ſtylo facili faciles amo ſcribere amores;
Conueniunt nudis nudaque verba iocis.
Sic quotiens res, perſonæ, ſeu tempora poſcunt,
Gaudet diuerſis noſtra Thalia ſonis.
Nempe ſuos ſeruire modos vult, verbaque rebus;
Non verbis, certis reſue ſubeſſe modis.

AMPLISSIMÆ DIGNI, TATISVIRO, AC DOMINO, D. ERASMO NEVSTETTERO, *cognomento* STVRMERO; *Ecclesiar: Bambergensis & Wirtzburgensis Canonico, ibidemque ad S. Gangolffum & S. Ioannem Haugiensem Præposito; Comburgensi Decano, Equiti Franco, &c.*

FRANCISCVS MODIVS BRVGENSIS S.

CVm allatis nuper de ADOLPH. HERMANNI RIEDESELII, quoi die de eius singulari humanitate, prudentia, fortitudine, valetudine denique affecta, cum qua conflictari longo iam tempore nunciabatur, multus nobis, vt meminisse potes, amplisime patrone, inter nos sermo fuerat; cum inquam tum allatis de huius talis viri morte litteris; vidissem te, pro ea quæ tibi insita est cum summa prudentia summa humanitas non potuisse non commoueri vehementius, & ipse ego perinde illo nuncio turbatus, animoque consternatus essem; atque prolixa generosissimi RIEDESELII, qui me domi suæ non paruo tempore liberalissimè habuisset, erga me inmerentem beneuolentia, eiusdem humanitatis iure exigere quodammodo videbatur: quod in consimilibus casibus facere soleo, vt ad libros sapientię magistros me conferam, hoc mihi tum quoque tenendum, existimaui: tulique hunc huius mei facti fructum

vt

vt non tantum recentèr acceptum dolorem lectione talium mihi leuiorem, mitioremque fieri re ipsa exsperirer; sed & in posterum quoque instrui me latenter persentisserem, ad quoscumque deinceps casus, vbi necesse esset, moderatè ferendos. Quare iam satis mihi confidens; nec refugiens eius rei memoriam, qua in multis meis, his sex, septem annis creperis, aduersisque adeò rebus, nihil fere tuli molestius; totus sequentibus diebus aliquot in RIEDESELIO, eiusque erga me beneuolentia defixus; non elegiam tantum vnam atque alteram, sed & eclogam pastoritiam, aliaque quædam in illius obitum vno quodammodo continuatoque impetu effudi. non digna illa quidem, benignisime patrone, purgatisimis auribus tuis, sed quę sic quoque modo nata tibi oblaturus fueram, nisi & tum ea tibi negocia, & postea tam crebræ profectiones incidisent, vt commode nihil hactenus in re tali fieri à me posse iudicauerim. Nam etsi his talibus interpolari ea tua, quæ dixi assidua negocia non malè posse videbantur; tamen verebar. ne iudiciũ in me requireretur, si eius generis scripta occupato obtulisem, quæ non tam præsentes ex animo tibi abstergerent, quam (quod fore videbam) doloris, tempore ipso nonnihil iam mitigati, memoriam renouando, nouas insuper molestias adspergerent. Quæres etsi hodièque non iniuria me, ne hæc ipsa ad te mitterem, demouere poterat; plus tamen valuit aliquando apud me consideratio fortitudinis tuæ, quam vocanda in dubium ratio iudicij mei. deinde, sic cogitabam; hoc quicquid esset, ex recordatione accepti

doloris

doloris, ægritudinis; non tam moleſtum tibi, quam meum erga defunctum RIEDESELIVM ſtudium, pietatemque, accepta, grata, iucundaque adeo acciſura. Atque vt accidant adhibendum etiam hoc mihi hic artificium exiſtimaui, vtà re benè ominata exorſus, paullatim ad triſtia delaberer, vſus etiã occaſione temporis, eiuſq; ocij, quod beneficio tuo profundiſsimum mihi conceſſum non illibenter poſt ſtudia. ſi non longè grauiora, certè plus reip. litterariæ, niſi iudicans fallor, vtilitatis allatura, tibique ſe in tempore, vt ſpero, probatura; in poëticæ amœnitatis hortulis conſumere ſoleo. ex quibus nunc iſta carpebam, quæ tibi, ampliſsme NEVSTETTERE, cliens patrono, boni ominis cauſſa, his anni cIↃ IↃ. LXXXIII. auſpicibus Kalendis, more maiorum, xenij vice, lubens merito, darem, dedicarem. Vale.

IOHANNES POSTHIVS FRANCISCO MODIO.

Vsné, MODI, *verum vt fatear tibi?*
non satis æqua
Mente lego Musæ carmina docta tuæ.
Cur, rogitas? cupidè quia dum tua scripta reuoluo,
Mille in queis Charites, mille habitant Veneres;
Nostra mihi tantum sordere videntur, vt illa
Perpetuò in tenebris delituisse velim.
Hæc est inuidiæ iustissima causa, pudorem
Nempe tui nostris versibus incutiunt.

Idem ad eundem.

Lgebant Mœni tristes in littore Nymphæ,
Quòd daret haud vllos Musica turba sonos.
Iam solitas repetunt choreas, iam gutture lato
Dulce arguta canunt ad tua plectra, MODI.
Plectra, quibus palmam gentis tria lumina nostræ
Cum Celte Huttenus Lotichiusque darent,
Plectra quibus Musæ, quibus ipse assurgat Apollo
Miratus docta fila canora lyræ.
Sis felix, FRANCISCE, *meosque ad sidera Francos*
Ardua carminibus tollere perge tuis.
Sic tibi Nobilitas meritos decernet honores
Francica, te digno constituetque loco.

Eiusdem

Cum celebrata tuo noſtri ſit fama Veredi
Carmine, quod tempus nullum abolere queat;
Ecce ferox animis vt geſtiat, ecce ſuperbos
Edat vt hinnitus, & pede pulſet humum!
Te præſente, MODI, *facit hoc: tua munera ſentit,*
Te portare ſuo tergore gratus auet.
Scande, MODI, *cape frena manu, quocunque iubebis,*
Promptus in offenſo te feret ille gradu.

DE EODEM MODIO IACOBVS DIDYMVS FRISIVS I. C. ad Lectorem.

Quæris vbi pulsa per barbara castra Pelasga
Nunc habitent Musæ, quo tulerintue pedem?
In Belgas Helicona scias migrasse, bicepsque
Pieria clarum fonte cacumen aqua.
Illic vmbrosis MODIVM *lustrasse sub antris*
Diliacas Nymphas, Pegasidásque deas.
Et puero Phœbum, Phœbo monstrasse puellum:
Hunc illi, huic illum conciliasse pares.
Sed postquam tumidi discordia Martis ad arma
Belga furens, propriæ cædis auarus, ijt;
Exulis auspicium MODII, MODIVMQVE *secutæ*
Exilium placido constituisse loco.
Quà pater excelsas Francorum proluit vrbes,
Vitiferis æquus collibus, æquus agris
Mœnus. vbi fama atq; opibus prædiues auitis
Nobilis & prisco stemmate clarus Eques;
Clarior ingenio, virtute insignis, & arte,
Mæcenás nostri temporis eximius:
Quem celebrant magni magnum magno ore poetæ,
Indignum nostro deteri ab ingenio:
NEVSTETTERVS ERASMVS, *alumnus & ipse Dearum,*
Solatur Musas hospitióque fouet.
Anne cliens Dominas, Patronus an ipse clientes
Incertum: tanta mentis abundat ope.
Huc MODIVM *Diuæ, Diuas* MODIVS *comitati*
Cantando exilij tristia fata leuant.

Felix

Felix hospitium, felicia fœdera, virtus
Qua parit officij sedulitate paris.
Fœlices vero mage terque quaterque beatos,
Queis tua conciliant carmina perpetuam
Cum vita famam, decus immortale, nec vlla
Pensari digna, quod pote merce, MODI.

Tetrastichum eiusdem.

εἰς ἕτερ' ἐὶ διαβαίνουσιν νέα σώματα ψυχαί
ἐξ ἑτέρων, (λόγος ὣς τῶν παρὰ Πυθαγόρᾳ)
τῶν πάλαι ποικτῶν πάλαι εὐδοκίμων ὁ κατὼλος
πάνσοφος ἐλλογίμου γ' εἰς Μόδιον διέβη.

Idem ab eodem districho redditum.

In noua perpetua si migrant corpora mentes:
Migrasti in MODIVM *docte Catulle meum.*

Aliud distichum eiusdem.

εἰ καλὸς ὦ τὸ καλόνγε φίλον, καλὸς οὐκ ἂν ἔτ' εἴη·
ὅτινι μὴ τὸ παρὸν βιβλίον ἐστὶ φίλον.

Aliud eiusdem tetrastichum ad MODIVM.

ἔμπαρτι σοί τε γένος ἠδὲ ποικίλον ἐστὶ νόημα·
εὐμορφή τε καλὸ σώματος ἁρμονία·
οὐκοῦν τριπλασίου μετέχων ἀγαθοῦ μόνον ὄντος,
πῶς οὐκ εὐδαίμων τρισμάκαρ ἦ Μόδιε,

ROBERTI MATTHANI, GALLI NORMANNI, ad MODIVM Elegia.

NOx erat, & mea membra sopor fessa altus habebat,
Somnia vicino hæc cum mihi visa die.
Astabam (certè per somnum astare videbar)
Extremis Tethys qua dominatur aquis,
In scopulo, vnde dabat vastum prospectus in aquor
Salsa oculis latè regna videnda meis:
Cum mihi diuersis multum oppugnata procellis,
Et fluctu huc, illuc cernitur acta ratis.
Indolui, dixique: hæc aquora quisquis iniquo
Naue, tridentifero, curris aperta Deo;
Placatum hunc præstet numen tibi mitius, vllum
Numen, si tamen hoc mitius aquor habet.
Vix effatus eram, miseram cum plurima puppim
Vnda premens, decimis ingruit aspera aquis;
Laxis ergo atros laterum compagibus imbres
Accipit, & vitiat, quas malè celat, opes.
Iamque adeò prope res aberat quin parte fatiscens
Omni naufragis cederet illa Notis,
Nescio cum subito quis eam Deus eripit illis;
Flaminibus portum datque tenere suis.
Nunc mihi dic nocturna, interpres, Imaginis, hæc quid
Visa (volunt aliquid si tamen illa) velint.
Sic ego: cum nocturnæ interpres imaginis, ille,
Astare in scopulo quo tibi visus eras:
Mentis erat sursum, & cælo tendentis acumen,
Ceu specula ex, hominum cerneret vnde genus.

AEquo-

A Equora at in magnos illa irascentia fluctus;
Nostro nescio quis orbis in orbe fuit,
Quem fera perturbant Mauortis classica; & in se
Armatas stimulant semper habere manus.
Iam ratis indignis tot conflictata procellis,
Est aliquis curæ qui tibi amicus erat:
Isto, quem dixi, qui iactabatur in orbe,
Proximus exitio vt iam foret ille suo.
Immo adeò conclamatus; meliora misellum
Numina cum tantis eripuere malis.
Quodque tibi portus conspectus denotat, vrbi
Transmisere, vbi nunc otia lætus agit.
Dixerat, & mea iam non somnia somnia, sed sunt
Visa magis vera res mihi gesta fide.
Estque adeo, tua nam iratus mihi Belgica pontus,
Tuque, MODI, *illius turbine es acta ratis.*
Seruator tuus est STVRMERVS, *portus vt aula*
Eiusdem, donis tot tibi nota suis.
Merces, per rimas, quas me vidisse recordor
Nauis, sunt animi dona beata tui.
De quibus in lucem hæc dum das, mox plura daturus;
Cui non tam culti carminis arte places?
Iuratus dico; cui non tua Musa probatur;
Huic nolim nugas posse probare meas.

IOACHIMI MATTHANI adhuc ad eundem ELEGIA.

QVam bene signatis interdum nomina rebus
Conueniant, MODII *ex nomine scire licet.*
In quo si leuiter vocalis quarta secunda
Mutetur, medium hoc nempe decenter habes;
Vltra quod citraque negat consistere rectum:
Quo quidnam tandem huic aptius esse potest;
Qui siue insigni laudat virtute potentes;
Seu mœstis deflet funera mœsta modis;
Denique seu queritur duros in amore dolores;
Seu sacra dulcisona carmina voce canit:
Tam medium, quod ritè ferunt tenuisse beatos,
Aptè in carminibus seruat vbique suis;
Vt neque scurrantis speciem, mirator honesti,
Prabeat, aut tumidum laudibus inflet vtrem:
Nec demisse humana ferat nimis; Immo adeo vltro
Æquo animo moneat, quæ patienda, pati:
Denique nec teneras obscœno vulneret aures
Carmine, dum ficti ludit amoris opus:
Nec non sacra, sua pro maiestate, decorè
Tractet; materia stans q3 cadens q3 sua.
Quem tenuisse modum si punctum est omne tulisse;
Punctum vt ferre omne est hunc tenuisse modū.
Quod nomen poterat tibi conuenientius esse,
Qui vitare parum, qui nimium que potes;
Quam quod mutato MEDIVM *fit grammate; vel quod*
Extrito ipse MODVS *grammate dius erit?*
Extrito dico, aut mutato grammate? nomen
Immo quod potuit aptius esse tibi,

Parte

Parte omni integrum, per se, nullius egensque,
Redderet vlli quæ gratius illud, opis;
Quam MEDIVMQVE MODVMQVE *vt mittam; quod* MODIVM *te,*
(Sextar I vt MODIVS *metra bis octo capit,)*
Declaret Charitum, Musarumque esse capacem;
Quis sine Musarum & nulla placere potest;
Quis sine nulla potest Charitum q̃ placere; dearum;
Vno gaudentes quatuor esse loco,
Vno Virtutum gaudentes nomine, quæ nos
Æquali vitam ducere lance docent.
Sextar I. Modius tres, ter tres, quatuor adq̃ has
Mensuras, ratio est ni mea vana, capit.
Tu tres, tu ter tres dinas, tu quatuor adq̃ has,
Ne non sis, quod & es, quodq̃ vocare capis.
I nunc, diuinos & demirare Vetustas,
A quibus Idmon vel nomina vatis habet;
Omina vel potius quam nomina Protesilaus
Diuersus q̃ citis non bene tractus equis;
Qui MODIO *meliore suum dant omine nomen,*
Quidque, vide, præsent Auguriy arte tuis.
At tu, siue, MODI, *medium tua nomina signant,*
Siue modum, aut ipsa quod mage voce sonant;
Perge tuis nos hoc exemplo sæpe libellis,
Et non dentatis exhilarare iocis.
Nec tibi sit patriæ bello intabescere, belli
Siue feri secum quæ mala pectis habet.
Pugnent quis pugnæ cordi discordibus armis;
Dum meliore illis mente det esse Deus;
Quis Musæ cordi; hos concordi voce iuuabit
Hoc opus ingeniy tollere ad astra tui.

AD

Ad eundem MODIVM

Dere tura tibi est monumenta perennia famæ,
Dum tenero vernum floret in ore decus.
Macte tuo feruore, MODI, *vigor vtilis annis*
Spem facit, in cassum non fore tanta bona.
Laurus vt exculto crescit genialis in horto,
Et semper viridi frundet amicta comâ;
Sic tibi succrescent famæ potioris honores,
Gloria cum Genij fiet adulta tui.
Quid non præstabis, messis cum tanta sit herbæ,
Si maturuerit fertilis vber agri?

MELISSVS.

Ad Franciscvm Modivm Brugensem I C. & Poetam nobilem.

QVa, Francisce Modi, *ratione vocére quod audis,*
Vin' tibi simplus ego Leivs *expediam?*
Aurea cui Legum libertas vnica cura est,
Quis merito hunc Franci *nomen habere neget?*
Quiq; modum verbis adhibet rebusq; decentem,
Quis merito hunc Modii *nomen habere neget?*
Quæ nam igitur deceant Themidos, Phabiq; ministrū
Quam bona Francisci *nomina, quam* Modii?

Alivd.

Si modus est Virtus inter nimiumq; parumq;
A virtute, Modi, *nobile nomen habes.*

Ad Evndem

Dum nimium mea laude vehis; tua laudibus orbas
Iudice me, cedro carmina digna, Modi;
Da Veniam, si vera loquar, mihi vera locuto:
Immemor immodicè nominis ipse tui es.

Aliter.

Dum tua Vituperas nimium, mea laude fatigas.
Immemor anne Modi *nominis ipse tui es?*

Conradvs Leivs.

Ad

AVCTOR
AD LECTOREM,

Quisquis abortiua temeraria pignora Musæ
Adspicis, innocuæ ast carmina mentis opus:
Sic mage felicite Phœbus ab arbore Apollo
Respiciat, votis dexter vbique tuis:
Ne quid in ys critice damnet tua, vel notet vsquam
Inuersi erroris cura seuera styli;
Ante meas quam, seu cusoris crimina, culpas
(Nam iuxta hic nostrum est forsan vterque nocens)
Illis mutaris, paucis quæ pagina verbis
Vltima, si res hæc te modo tangit, habet.
Cusor homo est; ego homo; labiq;, errareq; nostrum est.
Tuque adeo hoc ipsum qui legis, ipse homo es.

FRAN-

FRANCISCI MODII BRVGENSIS. ELEGIAE.

Ad Ampliſsimum ERASMVM NEVSTETTERVM cognomento STVRMERVM, &c. KL. auſpicib. Anni LXXXIII.

Elegia I.

Quærere me fateor, tibi quæ ſatis, auſpice, rurſum
Apta, anni, mittam verba legenda, die.
Quæro; nec ſubeunt: fruſtraq; adoratur Apollo;
Fruſtra omnis precibus Muſica turba meis.
Nempe tuo Vati ingenium facere ipſe ſolebas
STVRMERE; & præſens tu mihi Phœbus eras.
Vt merito tibi ſe fructu qui addixit, & vſu;
Eius ſtant vultu cuncta, caduntq; tuo.
Sic ſol præſenti latè loca luce ſerenat;
Ipſo, quæ tenebris merſa, abeunte vides.
Nubibus vt tamen ille caput ſæpe abditus atris;
Nubila per vires exſerat ipſa ſuas;
Et, quamuis nulli ſpectabilis, excoquat arua;
Lætum fœcundans frugifero igne ſolum.
Huius ad exemplum, quamuis digreſſus, & abſens,
Sic quoque me cura dignum habe, ERASME, tua.
Et da te in carmen, qualem, quantumq; ſolebas,
Palladij ô decus ô gloria prima chori,
Siue ſuo qui te ſiſtit ſuper aſtra Veredo;
Siue MELISSO, olim LOTICHIOQVE, mihi.
Forſan & ipſi illis non inferiora loquemur;
Digna ſed eſſe oculis quæ fateare tuis,

Magna minare, inquis; fateor, sed magna minandi
Præ cunctis animos tu mihi, ERASME, facis.
Tu dico: cuius videor faciente fauore,
Pelignam calamis vincere posse chelim.
Quod tamen vt sequar, et non assequar, haud minor inde
Audentis pugnam fama futura mea est.
Testis enim ipse mihi Pelignis natus ijsdem,
Magnam aliquam esse etiam rem voluisse satis.
Vt desit nostris ergo sua gratia dictis,
Nec numeros habeant carmina nostra suos;
Sed riui manent; quid enim manifesta negabo?
Ducti de genij siue, Tibulle, tui,
Siue tui Naso, foecundo fonte; quid ad rem?
Sat placet officium, quod pietate placet.
Nec mihi cantatur semper deus improbus ille,
Exsul adulandi à quo pretium alter habet:
Nec Messala aliquis; cuius laus maxima, semper
Ciuili infectas sanguine habere manus:
Sed purus sceleris, vitæ integer, æquus in omnes,
Aonijs natus pandere tecta Deis.
Carmine quantum igitur vincor, vinco argumento,
Et stant materia carmina iure sua.
Ni foret hoc, poterat tua, Naso, ars summa videri;
Nunc pretium quæ igni non data grande tulit.
Ite igitur, neque enim inuideo, bona turba, Poetæ,
Orbis latro aliquis quis Deus esse potest,
Quis puer in victo dominatur solus olympo,
Per quem iam toto nulla pudica polo est.
Ite, parum castis nupto sermone placete,
Musa mea officio hoc si placet vna, sat est,
Quo cupiat, STVRMERE, tuas, cultissime laudes
Dicere, si ingenij res foret ista sui.

Se

Sed neque res, STVRMERE, sui, cultissime, laudes
Ingenij dignè est dicere posse tuas,
Nec quot nostra nota vel de meliore Poetas
Aetas, nostri orbis qua patet ora, tulit.
Ipse licet veniat comitatus Apolline dextro,
Impleat vt tanti POSTHIVS oris opus;
POSTHIVS ipse etiam comitatus Apolline dextro,
Hoc vires dicet non valuisse suas.
Verè adeò ille canit, quicunque aquare volentem
Factis dicta, ingens suscipere inquit onus.
Sic quoq; sic STVRMERE, tamen mihi dicere certũ (est,
Quot tua in Aonium sint benefacta chorum.
In quis si nimius cuiquam fortasse videbor;
(Vt nimij fors hic, cui videamur, erit,)
Quisquis erit, secum hoc sic cogitet ille, merendi
Vt tua non vllum nouit habere modum,
De studijs bene perpetua & propensa voluntas,
Cognita sæpe alijs, cognita sæpe mihi;
Sic merito memori hanc celebrari semper honore,
Et pariter laudis fine carere suæ.
Adde quod & quaqua respexi, protinus omnia,
A cœlo, munus me scio habere tuum;
Tantum non itidem mihi se exprobrantia, de te
Tantillo mea cum tempore Musa tacet.
Denique, si nemo sapiens mihi iure negabit,
Deberi æterno, hoc nomine, manè Deo,
Deberi medio, & sero præconia sole,
Quacunque in re quis deditus esse potest:
Omnia diuino quod munere condita certas
Causa hominis seruant in statione vices:
Munere diuino quod, quæ vitæ exigit vsus,
Sufficiant largo terra, fretumque sinu;

Quis non his etiam præconia iure fatetur
Deberi à magno, proxima quæque, Deo;
Qui Dei ad exemplum bene de quocunque merendo,
Hinc læti famam nominis ire sui,
Quod pote conceſſa traducunt tempora vitæ,
Vrgentes ſtudio hoc principe ſemper opus?
Nemo erit; ha nemo, niſi qui contendere vero,
Et furere inſanus cum ratione poteſt:
His quoque deberi qui non fateatur honores,
Vt meritam laudem, nocte, diéque, ſuos.
Quare ad te redeo, & tua, STVRMERE, inclyta facta,
Quis iam tum implebas ſolis vtramque domum:
Cum primæ vix dum veſtitus pube iuuentæ,
Ignotam es multis auſus inire viam;
Ardua quæ ducit muſæi ad culmina montis,
Bellerophontææ fons vbi manat aquæ.
Ipſi, quo plenus ſolitus certare SECVNDO,
Quo quid veſtra tamen cultius ora tulit?
LOTICHIO *quo, inquam, plenus certare* SECVNDO,
Alterna ſolitus diceris eſſe vice.
Facta modo illius dum nunc ſeu carmina Muſæ,
Siue Arpinati dignum opus ore, legis:
Carmina ſeu dum nunc das, quæ legat ipſe viciſſim,
Seu certis potius libera verba modis.
Verba & melle lita, & ſeſamo conſperſa; lepores
In genio vt ferrent ſingula mille ſuo.
Hæc ſic eſſe, cui credam, STVRMERE, *requiris?*
Ante alios ipſi LOTICHIO; *inde mihi.*
LOTICHIO, *qua ſe ſcriptorum parte fatetur,*
Sæpius ad voces obſtupuiſſe tuas.
Diuitis eloquij miratus flumina in illo,
Promptius atque loqui, cui facere eſſe ſolet.

Ipſe

Ipse mihi; ex illo iam tempore, quo tua legi
LOTICHIO alterna scripta notata manu:
Rerum non minus, ac verborum ditia; neruis
Arctè quaque suis vsque ligata forent;
Nil in ijs quidquam vt posset superare videri,
Verum aptis adeo singula posta locis;
Vt qui asarota nouis distingunt Graia figuris,
Mira tesserulas arte locare solent.
Iunge his dignum animum cultore Heliconis; & illud
Iunge, quod ex illis vix quoque quintus habet;
Munificum cum re studium præsente iuuandi
Res creperas sese indigna ferentis ope.
Inq; tuos; sed quo, quo Musa relaberis? ecce,
Sponte tua vt semper ad benefacta redit;
Vsque adeo verum est, modo quod dixisse recordor,
Obuia quaque oculos attrahere apta meos,
Huius præcipuè in virtutis, ERASME, stuporem,
Proxima qua magnis est tua fama deis.
Dicant de te alia ergo alij; mihi dicitur illa;
Materies nostra conuenit ista lyræ.
Nam quid agat potius, quam perpete semper honore
Vt sonet occiduo hunc, hunc oriente die,
Quo sine, muta, silénsque in solis pendeat antris,
Aonio, ante annos emerita, illa choro?
Há dolor! hà lacrimæ! nisi tu, STVRMERE, fuisses;
Qui, fera dum nostri detonet ira mali;
Naufragij recipis metuentia carbasa portu;
Subductamque vetas posse perire ratem:
Nunc etiam aut pelago miser heù iactarer aperto,
Quod petit e ventis quilibet esse suum;
Aut fors Cratheidis, cupiens vitare Charybdin,
Inciderem in rabidos, monstra marina, canes.

Monstra omnes forma, quondam vincentia formas
Monstrorum, & nullis tam fera visa locis.
Quorum tu medijs ereptum faucibus, vltro
Dum cumulas donis dona priora nouis,
Arcta adeo generose ligas, STVRMERE, catena;
Obstrictum meritis totq3, tuum esse iubes;
Vt ne vita quidem tibi nostra impensa satis sit,
Quæ nexu soluat nomina nostra tuo.
Sed nec vita tibi fors sic impensa probetur
Nostra; & erit mage vbi seruiat illa tibi.
Certa quot adijcient annos sibi fata, secundum
AEternum, ad te vnum velle referre, deum.
Quem iam nunc adeo merito veneratus honore,
Non alias precibus mauelim adesse meis;
Quam dum votum iterum primis annale Kalendis
Concipio, lætus totus vt annus eat
NEVSTETTERE tibi; sæpéque vt munere eodem
Fungar, fortunæ & summa sit ista meæ;
Pro sene nunc vt quæ iuuenis precor; hæc eadem olim
Festa hac luce precer pro seniore senex.

Ad IOANNEM POSTHIVM ARCHIATRVM WIRZEBVRGICVM. Elegia II.

POSTHI cura dei longè fallentis, & idem
Verum Musarum delitium & Charitum.
POSTHI, amor atq3 oculus Phœbi, diuaque sacerdos,
Quæ sine matre olim est de capite orta Iouis.
Quid tibi te dignum MODIVS dabit, omnium egenus
Diuitiarum animi, atque ingenij, & genij?
Quid dabit hic, inquam, quem carminis auctor Apollo,
Quem

Quem auersis tuitur Calliopea oculis.
Mille modis peream, nisi me mihi suffurari,
Et te dignum conor scribere, POSTHI, *aliquid.*
Sed conor nequiquam omnes de mente fugauit
Verborum patriæ mi studium veneres.
Tu mea, tu patria, in diuersum gaudia mutas:
Tecum mens animi semisepulta mei est:
Hà patria infelix diuûm domus aurea quondam,
Quæ te, tot fractam casibus, insequitur
Fortuna, atque tuas tota cùm gente laborat
Vrbes, ex imo vertere humo in cineres?
Hà patria! hà quondam domus inclyta doctrinarum,
Virtutúmque omni plena diu genere,
Quid de DIS *tantum meruisti; vt præda latronum*
Vndique tam miseris totq; modis pereas?
Heù pietas! templa illa quibus fastigia cæli
Tangis, & auratum tollis ad astra caput;
Illæ, inquam, turres, cælo capita æqua ferentes,
Quæque latent medium sole tenente diem,
Subsident? decora illa patrum pulcherrima in ignem
Ibunt? æratis tot monumenta notis,
Inscripta vt sint inmortalia, barbarus ille
Hauriet? heù fatis fata siniſtra tuis!
Quis tibi, quis diuûm solitos inuidit honores
Belgica? quo tantum es crimine facta nocens?
Quis tam crudeles de te sibi sumere pœnas
Optauit? quis tot supplicij facies
Inmisit tibi? prô fors aspera! prô miseram te,
Simplice cui non est fas ruere excidio.
In te coniurasse homines, elementáque, & ipsos
Cælicolas, si ius credere, credo equidem.
Vndique te vallatam armis vexantque trahuntque.

Hinc isti, illi inde, istinc alij, atque alij:
Cernit de te omnis Hispania, Gallia, & ipsa
Excita vsque suis sedibus Italia.
Cernit de te, inquam, Germania, Hibernia, & orbe
Insula quam nostro diuidit Oceanus.
Vtque illi vincant bello, quos vincere causſa
Res loquitur, tu non sectius inde peris.
Ergo cum praeter nullam sperare salutem
Nil tibi sit reliquum, Belgica: quod reliquum est,
Fácque & fer. superanda omnis fortuna ferendo est.
Quis scit, an, vt nihil hic perpetuum, ac proprium est,
Laomedontææ velut olim mœnia Troiæ,
Tu quoque mox surges maior ab exsequijs?
Interea tamen, ô POSTHI, *ne carminis a me*
Tantillum exspecta; aut delitiarum animi.
Afflictæ instantem patriæ deflere ruinam
Aeternis liceat questibus, & lacrimis.
Mentis opus lætæ sunt carmina; carmina abillis
Exige, quos fato fors meliore tulit.
Neue nihil voluisse tamen tibi scribere, POSTHI
Arguar, hoc a me perlege epistolium.
Carmina tum dabimus Musæo sparsa lepore;
Cum noua de veteri Belgica surget humo.

Ad IOACHIMVM M. & PHILIPPVM I. C. CAMERARIOS, fratres germanos &c. Elegia III.

Audieram patri similes vos omnia fratres;
Siue vocet Graij, seu Latij oris opus.
Crediderámque oculis id, de te, atque auribus hisce,
Qui

Qui quoque de patrio nomine nomen habes.
Credere nunc oculis, de te quoque & auribus idem
Cogor, nomina equi cui sua fecit amor.
Ingenuum grauitas habitat gratissima vultum:
Os vulgare nihil; nil triuiale sonat.
Inqué deum, inqué suos nota pietatis vterque est,
Et patriam studijs ornat vterque suis.
Quippe alter Phœbo comitante, & vbique secundo,
Corpora præsenti morbida sanat ope:
Alter Iustitiam mortali fraude fugatam
Sollicitat priscas velle redire domos.
Dulci dulce magis melle est, quod vterque loquuntur:
Verbáque qua visum, quóque iubentur eunt.
Prudens simplicitas mores sic temperat, vt nec
Fallantur structis improba ab arte dolis;
Fallere nec cupiant quenquam, mentem ore professi;
Et personata nescij amare fide.
Felices, si quis dici sub sole meretur
Felix; quorum ornet gloria tanta domum.
Diuitias alij iactent, & stemmata, maior,
Et potior vestra hæc laus mihi semper erit.

Ad IVSTVM LIPSIVM, cum commentarium Cornelianum vulgaret, Elegia IV.

Vellem vt vis, LIPSI; sed me mea conscia virtus
Terret, te vt possim dicere digna satis.
Audendum tamen est video; & si vera fatendum,
Audacem auspicijs me iuuat esse tuis.
Dicam igitur solum te pane in tempore nostro hoc,

Obstrictam doctis non temerasse fidem.
Tempore nostro, inquam, hoc; quo vt si promittere sat sit,
Et populum verbis ducere grande sophos;
Grassari ad famam hac passim plerosque videmus,
Vt sibi nec fictum in nube minentur opus.
Nec mouet ille Deûm contemtor fulmina qui dum
Mentitur vero fulmine tactus ob It;
Quo minus affectent in dias luminis oras,
Doctorum & quauis ora venire virûm.
Sic quondam indomito nimium temerarius ausu,
Dum parat æstifero cominus ire deo
Icarus, ex homine est factus sine corpore inane
Nomen, in Icarijs naufragus ales aquis.
Huius ad exemplum, moneo, caue fluxa iuuentus
Post solidas famæ ponere diuitias:
Ne fors dum titulos captas, & idonea vitæ
Nomina, quo Phaëthon decipiare modo.
Sit tibi in ante magis veræ virtutis amator
Hic quoque, vt in rebus de meliore nota
Omnibus, ingenuos doctrinæ iungere mores,
In paucis doctus LIPSIVS *ingenijs.*
LIPSIVS, *à varrone (sui varro ipsius & aui,*
Rumpatur licet hic zoilus inuidia.)
Fluxæ qui didicit procudere tempora vitæ,
Assiduus Phœbi, & Pieridum inter opus.
Dum modo ad instar apis, quæ sedula libat honorem
Hortorum, & passim hoc omnia peruolitat,
Scriptorum omne genus, libris affixus & hærens
Excutit, & studijs pallidus inuigilat.
Ac modo & ipse facit, stupeant quæ postera quondam
Secula, quæque oculo Mome dolente legas.
Cui si nostra pares hominis sex forte tulisset

Belgica

Belgica; terrarum hic Belgica prima foret.
Sic quoque & illa tamen felix; felicior imò hoc
Vno; quam innumeris Teutonis ora aliys;
Qui iacere ampullas docti & magna vsque sonare;
Viui ipsi sua mox scripta fuisse vident.
Expertes genio, atque animæ infelicis homulli,
Quisq; nec in toto est pectore mica salis:
Pallade qui inuita, Musisque, & Apolline, poscant
Nequiquam Aonio posse placere gregi.
Quantum vel satius fuerat tacuisse, vel ipsa
Duxe hac saltem, qua LIPSIVS, *arte diem?*
Qui tibi dum priscos renouat Germania honores;
Te illustrans studij sedulitate sui;
Hoc facit, vt nulli tantum Germania, docte
Lipsiadæ quantum debeat ingenio.
Fallor, an & Tacito faculam sic alluxisse,
Integrum Tacitum reddere pæne fuit?
Non fallor, numquam tantum præstare merendo,
Reddendo Tacitum Lipsiades poterat,
Quantum demeruit sibi tréque nouémque sorores,
His quæ cum tanto scripta Deo vigilant.
Nec si fortè fuit magnum Tacitum expurgasse,
Hoc magno Tacitum est extenebrasse minus:
Ingenio vsus ibi est: sed & hic quoque, nec suo vtraq;
Defuit in re vti LIPSIVS *ingenio.*
Ergo seruato donari ciuica ciui
Quæ solet, huic merito ciuica danda viro est.
Ciuica nec tantum sed quot sunt præmia belli,
Quotque togæ; meruit vnius ille caput
Omnia seruando, quo cum capite isset ad orcum
Germanæ flos, & delitium historiæ.
Alterno sic nempe valent humana, cluentque
Auxilio,

Auxilio, alterius sic eget alter ope.
LISPSIVS aternum hinc aternat Teutonas; illinc
Teutonis aternat LIPSIADEM ora suum.
Felices quibus hoc superi tribuêre, vicissim
Calicolûm insererent inuicem vt ordinibus.
Magnum posse Deum facere est, sed maximum, in vno
Et facere & fieri tempore posse Deum est.

MARTINALIA.
Ad HIERONYMVM BERCHEMIVM I. C. &c.
Elegia v.

Da citharam, Martinus adest, da plectra, fidésque,
Atque hornum, puer, huc fortius adde merum.
Túque graues animi curas seclude parumper,
More patrum hunc tecum stat iugulare diem;
BERCHEMI; seu Parnassi de vertice, qui mos
Est tuus, Aonio flumine potus ades:
Deditus in studio seu Grammatico, Egmondani,
Vt sæpe, ora tui fingere balba venis.
Est tibi, sitq, precor, iustissima caussa laboris,
Quem capis, & pretium sedulitatis habes.
Nec plebeius honos tibi vel ludicra petuntur
Præmia, sceptrigeris cum decus istud auis
Tanto informatur studio; sed scire potes, mi
BERCHEMI, certas rebus inesse vices.
Iuppiter ipse, polos qui temperat igne gelûque,
Otia nonnunquam, fulmine liber, agit.
Ergo tu quoque, sic optatos cernere fructus
Tam assiduè impensa sit tibi quondam opera:
Sic tibi sefaueant dulces ante omnia Musæ;

Exper-

Expers tristitiæ sic tibi fluat;
A solutis animum curis hac luce remitte.
Non amat, apta ioco, verba severa, dies.
Sat cito cras alias reddent tibi publica caussas
Luctus, nil res hac, cur verearis, habet.
Quod diy vtinã facerent, ne essent, quas reddere possent,
Deficit hoc vno nostra elegeia loco.
Tu nos, tu patria, tu, tu, inquam, Belgica, vitam
Ex sortem tristi ducere sorte vetas.
Parte omni ferro non vastareris & igni,
Præda peregrinis, Belgica, militibus
Non esses; non tot patereris damna, rapinas,
Stupráque, & illa, horret qua meminisse animus;
Vitam securis curarum, & fronde liceret
Euinctis hederæ degere temporibus.
At nunc cum te vri vexarique vndique nobis
Heic nimium verax nuntia fama refert:
Quod das a lacrymis spatium, & mœrore vacuum?
Quæ non hora aliquid, quod doleamus, habet?
Cur vereare igitur nihil est, cum fœnore curas
(Atque vtinam hac vanus parte poeta vocer)
Nobis BERCHEMI *seu, prima luce reponet*
Publica caussa foris; seu tibi priua domi.
Inter vina hodiè tantum te festa libentem
Da mihi; nata anno, seu magis horna placent.
Dicemus bene te; bene me; Musas bene nostras:
Purum educentes per rata vota merum.
Nec tantum bene te; bene me; Musas bene nostras;
Sed quotquot Clario pectora foeta deo,
Coniunxit nobis doctarum virginum amor; seu
Quis curam officij Iuppiter huius habet.
Vt tamen in numero hoc sit princeps ordine vterque

Vt

Vt pariter patriæ est primus vterque suæ;
DVZA bonus versu, nec peior fulmine linguæ
LIPSIVS, & Pylio doctius ore loqui.
Post hos, cum VICTORE suo, inquam, Castore, Pollux,
Qui dominæ ex oculis gaudia mille trahit.
POSTHIADESQVE meus: palma & cui nobile nomen,
Agnoménque suum dædala finxit apis.
Septimus accedet Lubecæ gloria IANVS,
IANVS, fraterno notus amore mihi.
Præterea, quot res, præsens quot suggeret hora,
Siue meo tantum nomine, siue tuo.
Nec frustra hos bene fors dicemus, quis scit, an illi,
Dum pro se faciet quilibet istud idem,
Nostri haud inmemores, dicent, regione, MODI, qua,
Quo, BERCHEMI, animam, culte, sub axe trahis?
Dum & dicent, desiderium absentum testati,
De lacrimis facient crescere vina suis?
O mihi si talem hunc liceat sperare dolorem, vt
Haud meream, præillis, principum amicitias.
Quin licet, & fas est, talem hunc sperare dolorem,
Nec mereo præillis principum amicitias.
Ergo, BERCHEMI, bene te, tales bene amicos,
Et mecum appositos dic bene me, ad cyathos.
Nec tantum bene te, bene me, tales bene amicos,
Aut nostras mecum dic bene Pieridas.
Verum illos etiam, quotquot sunt vndique, seu qua
Vicino tuitur sidere mane diem
Princeps India, seu qua Phœbus vespere fessos
Extremo vultus abluit Oceano:
Qui ad genium sapiunt Musarum, & rite quotannis
Nobiscum illarum sacra hodierna ferunt.
Vita fugit, celeres velut horæ, nec datur vlli
Mancupio,

Mancupio, ex vsu est longa, breuisue suo.
Ergo viuamus, dum fas est viuere; fors cras
Lumina nos coget linquere mors oculis.

Ad IANVM GVLIELMIVM LVBECENSEM Elegia VI.

Et merito, quoniam dia heîc inhonora iacebat
Doctrina, ad populos ijt Hyperboreos.
Vt, quos tantum olim merces audire solemus
Tractare, atque illis anteputare nihil,
Ingenijs certent nostris nunc, & bona captent,
Quæ metuant vlla posse perire die.
Sic solet illa Iouis iusti iustissima proles,
Aufert, contemni quæ sua dona videt.
Ergo igitur quas præsentes despeximus artes,
Cum magna absentes quærimus inuidia.
Etsi, cur alijs hæc inuideamus, in ante
Publica quæ in nobis temnere fama solet?
Quin potius faueo laudem hanc, & gratulor illam
Seu tibi, GVLIELMI, siue tuæ patriæ.
Est, fateor, Lubeca alijs ampliſsima rebus,
Regum quaq́, suis æquet opes opibus:
Sed commune illud si non cum pluribus illi est,
Cum paucis tamen haud esse negare potes.
Laus erit vna dehinc, communem dicere nemo
Quam queat, ingenio parta trophæa tuo.
Hoc vno Lubeca vrbes supereminet omnes,
Nec tantum Hanſatici est fœderis illa caput,
Totius ast orbis, qua iungit mane nouo sol,
Et qua defessos vespere soluit equos.

Ergo

Ergo ô felicem te! ô terq́, quaterq́, beatum,
GVLIELMI; per quem sic patriæ auxit honos.
Debebas illi vitam: maiora dedisti:
Nec moriens quisquam plura aliquando dedit;
Quam tu viuenti viuens largiris; honore
Dum illam tam solido, præcipuóque beas.
Et tu, Lubecum, mere flos, atque vrbium ocelle,
Quæ fors fortunæ par potis esse tuæ est?
Nomine cælum æquas; & tangis sidera fama,
Siue tui vatis munere, siue tuo.
Nec reliquum est aliud, magis & magis vt clarescas,
Porro etiam, quam illum vt debito honore colas,
Ingenio qui te, & calamo super æthera vexit:
Ne illum fors pigeat gratuito esse pium.
Gaudet honorari virtus: & digna merendo est:
Quippe homines soleat quæ facere vna deos.

Ad Amplissimum ERASMVM NEVSTETTERVM cognomento STVRMERVM KL. Ianuarijs auspicibus annj cIↃ. IↃ. LXXXII. Elegia VII.

Si mea te posset, Mœcenas optime, viuo
Lycippi exemplo ducere in ære manus
Marmoreis tua si possem ora animare figuris,
Praxitelis quali sudat in arte labor:
Denique Apellæo si te mea dextera more,
Exprimere artifici docta colore foret:
Ille tuus grata vultus grauitate verendus,
Signa suæ passim plurima mentis habens,
Vndique & in saxo, & doili spiraret in ære,
Iret & ad populos pictus Hyperboreos.

Artibus

Artibus at quando nunc nil quidquam adiuuor istis,
Dum iuuat Aoniæ fila mouere lyræ:
Quod solum restat, pensabo hæc talia uersu,
Et dabo deuotæ carmina mentis opus,
Hicque illo te depingam, patrone, colore,
Cui neque cuncta abolens cætera longa dies,
Nec, Neptune, tui valeant nocuisse furores,
Nec claudo amburens omnia crure Deus.
Tu modo, tot quamuis, & tanta negotia pulsent
Vndique, & vsque tuas, nocte, dieque fores:
Ad tua dum passim, tanquam ad viuaria, currunt
Consilia, in rigua hinc valle sita Herbipolis;
Hinc Bamberga, illinc simul & tua regna, tuusque
Arx Comburgensis iam rediuiua, labor.
Tu modo, curarum his, inquam, ciuilibus vndis
Missis non dura huc fronte parumper ades.
Namque canam æthereas vt te olim in luminis oras
Melpomene egressum fouerit ipsa sinu:
Vtque tuis Charitum obtulerit, quæ prima, labellis
Vbera, Musæa & pauerit ambrosia.
Tempore, cuius tu dulcedine captus, ab illo,
Phœbea vsque famem pellere fruge studes.
In te quæ summa est multa & præclara sciendi,
Cuique ipsa augmentum dent alimenta suum.
Ergo consumtis cunctis Germanidos ora
Delitijs, alio regna sub axe petis.
Et Mœnum patrium, Rhenique fluenta relinquens,
Ingrederis cupido Belgica regna pede.
Quaque Brabantiacus sedem tum Phœbus in arce,
(Hei mihi cur non hanc nunc quoq; Phœbus habet?)
Vsque sibi acceptam longo iam tempore habebat,
Solam, vt se dignam hanc crederet esse domum:

Louanium pergis, doctas habitare sorores,
Auribus acciderat vera vbi fama tuis.
Louanium, flauo quam potat flumine felix
Præ cunctis, quondam, Dilia fluminibus.
Sed quantum quondam felix (adeo omnia versat
Vno Diua diu nescia stare loco.)
Tantum hodie vincens cunctorum ingente malorum
Agmine, quot nostrum nota sub Oceanum:
Ex quo dilecta exegit Phoebum impius vrbe,
Et sibi res Mauors iussit habere suas:
Diliacæ cogens cessare in margine ripæ,
Nympharum assuetos Pieridumque choros.
Ferreus; audita quem non flexere Camoenæ;
Non dia adiuta Delphica voce chelis.
Ergo nil mirum est, hominum si gratia parua est
Cognatos auso contemerare Deos.
Louanium infelix, quondam domus inclyta Phoebi,
Et verum Charitum ac Pieridum hospitium;
Quæ te tot sequitur miserandam casibus ira
Diuorum, aut potius, quæ premit inuidia?
Hei mihi, quam domino dominaris dispare, post quam
Mars ferus a Phoebo regnat in vrbe tua?
Virtutum omne genus Phoebo regnante vigebat;
Omnia sub Domino crimina Marte vigent.
Sub Phoebo Themis alma tuos frænabat alumnos;
At nunc sub Marte, hoc, quod libet, omne licet.
Principe te Phoebo gremio pax alta fouebat;
Quæ nunc quam longè principe Marte tibi est?
Nam quid ego hæc memorem, propter quæ maxima, toto
Iure tuum & nomen maximum in orbe fuit;
Omnia cum Phoebo quæ te fugere, relictis,
Propter quæ nullum nomen in orbe tuum est?

Res

Res niſi forte tibi potis eſt diuerſa probari,
Famáque te vitijs nobilitata iuuat.
Non igitur mirum eſt, ſi te tunc exteri adibant;
Nunc fugiant, patrium, quis tua terra ſolum eſt.
Non mirum eſt inq̃, (vt redeam tandem vnde dolor me
Belgarum in tantis cladibus abripuit)
Si tu florentem ſtudijs, quæ Phoebus Apollo,
Quæ Muſæ, & Charites, quæque Minerua probant;
Ante alias vrbem tibi, NEVSTETTERE, putaſti
Viſendam; quæ ſic viſa placere tibi eſt:
Ipſe quoquè vt dignam cenſeres, cuius in vna,
De multis, ſacras quas ibi Phoebus habet,
Certam ade, ingenti diſcendi incenſus amore,
Tantillo velles tempore habere domum;
Dum deſiderium expleres, dúmque eſſet in illa,
Res aliqua ingenio non aliena tuo.
Hoc potius mirum eſt; ſpatio te temporis illo,
Quod mihi (ne referam vix habitura fidem)
Dicere religio eſt, ſacraria in intima Phoebi,
Et Sophiæ ingreſſum eſſe in penetrale Deæ.
Decurſo, vlterius, ſtadio, vt tibi cauſſa morandi hic,
Translatáque alio lampade, nulla foret.
Ergo vt præceptis magnarum accederet vſus
Rerum, quæ poſſunt omnia iuncta duo.
Cunctorum ſtatuis populorum diſcere mores,
Quot Scaldim, & Tybrim, quot Rhodanumq̃ bibũt.
Et tibi iam ſacri Machlinia noſtra Senatus
Hoſpita, natiuo culta nitore placet.
Andouerpæa iam faſtum ſuſpicis vrbis,
AEquoreáſque ſtupes cernere in amne vices.
Amne, ſuo, qui te, felix Antuerpia, ditat
Munere, & eſt regni plurima cauſſa tui.

Illinc digressum, Gandensia moenia gaudent
Flandrorum in Domino te tenuisse sinu.
Augustum quorum tu demiratus honorem,
Huc tot conuersis crescere fluminibus:
Cæsaris hinc pronus das natali oscula terræ,
Quem magni imperium tum penes orbis erat.
Et tanti venerans cunabula principis, illis,
Grataris patriæ sustinuisse patrem.
Gandauo, ne te fors longa ambage teneri
Dicas, si pergam persequi euntis iter,
Oppida complecti contendens singula, versu,
Quæ nostris tibi sunt plurima visa locis:
Latipatente, inquam, Gandauo deinde relicto,
Lustrata extremum & Belgica ad Oceanum,
Gallica rura petis, vicináque moenia Flandris,
Cum Flandrisque vnum docta subire iugum:
Parrhisiósque, dehinc, sed cunctis vrbibus, illuc
Regalis ducunt quæ ratione viæ,
Cum cura inspectis, intras, quo tempore in illis,
Virtutum, & studij floruit omne genus,
Sub magno Henrico, pullo illo Martis, amaret,
Vt tamen Aonias non minus ille Deas.
Hic rursum manibus notos versare libellos
Incipis, & curis inuigilare nouis.
Nec prius absistis, quam, quo more ante Lycæi
Depastus culta es pinguia Diliaci,
In succum vertisse tuum se, & sanguinem abunde,
(Vt parte hac vnquam vix satur esse potes)
Omnia sensisti Gallæ cuppedia mensæ:
Contemnens vulgi quidquid in ore sapit.
Cum tamen interea non segnius aulica visis
Spectacla, & festa ludicra mentis opus.

Ludicra

Ludicra, sed Gallis magno constantia, regum
Cum flos tantilli tabuit articulo
Temporis, & docuit, nil hoc sub sole beatum
Esse diu, finem hæc sed quoque habere suum.
Nec minus esse bonis standum mortalibus vnquam,
Tangere quam cum te sidera honore putes.
Humanam in quo tu sortem miseratus, & illis
Exemplis doctus talibus, esse nihil,
Quidquid id est, illi quod demirantur, & optant,
Quos leuis ambitio, aut auri amor acer agit:
Te firmans, animumq; tuum, fluxa omnia spernis,
Et solas animi quærere pergis opes.
Emensisq; locis, quæ Franca colonia, sacrum
Missa domo veluti ver, hodieque tenet:
Cunctaque miratus, quæ plurima margine ripæ
A Emula stant ipsis oppida sideribus
Sequanicæ; et Rhodani, Ligerisq; habitãtur ad amnem,
Pæne vbi & inmoto flumine torpet Arar.
Vt Romam, rerum dominam, dum fata sinebant,
Quæque tot vna duces, tot dedit vna deos;
Augustum & Venetum populum, augustũq; Senatum,
Quem penes æquoreum nunc etiam imperium est;
Et Genuam externis gaudentem mercibus; & quæ
A florum florens nomine nomen habet
Vrbs, vrbi Ausoniæ nulli splendore secunda,
Inferior Thuscæ, aut fila mouere lyræ;
Et Mediolanum, quod cum tibi iungere velles
Gallia, prô, quanti res stetit illa tibi.
Parthenopenque oculis vbi lumina morte reliquit,
Qui profugum Ausoniæ ducit in arua Phrygem;
Vrbes, vt dico has, & plures cernere posses,
Ordine quas omnes longa referre mora est:

Italicum ingrederis transcensis alpibus agrum,
Tam vastæ temnens mille pericla viæ.
Et visis prisci monumenta hic cuncta laboris,
Quæ modo sint oculos digna tenere tuos.
Omnia nec sat habes vidisse, excepta tabellis
Cum non exiguo multa labore notas:
Depictósque arcus, obeliscos, piramidésque;
Et lacera attritis amphiteatra minis;
Thesaurum, (vt vere, sed de meliore metallo,
Thesauri hæc sapiens quilibet instar habet)
Insignem tamquam cum cura conditá seruas;
Et clausum exigua pyxide id omne geris
Quo fers cumque pedem, tecum, quo maxima Roma est;
Soláque quæ prisci signa decoris habet.
In patriam vt posses, Vrbem, quandóque reuersus
Dilectam, in media cernere Franconia,
Quam patriam merito iam spectans, tot peregrè annis
Ex studij insumtis vtilitate tui.
Certus & ad caros tandem remeare penates,
Erranti stringit Moenus vbi arua pede:
Sarcinulis ad iter collectis, templa Qurini
Et longum Ausoniæ regna valere iubes.
Cum tamen ante vrbis Patauinæ oracula adisses,
(Plurima templa almæ stant vbi Iustitiæ;)
Atque hic Astræa factus, Themidisque sacerdos,
AEquæ gessisses vertice serta Deæ.
Scilicet his capti pensantur in ante labores,
Hæc sunt emeritæ, hic, præmia militiæ.
Quanquam te, STVRMERE, domi maiora manebunt,
Crescet & in titulos pagina multa tuos.
Tu modo fac reddas votis te optantibus vnum,
Vtque facis, celeri, subde age, calcar equo.

Iam du-

Iamdudum exſpectant caræ te colla parentis,
Exſpectat caro cum patre, cara ſoror:
Exſpectant fratres; & turba agnata propinqui:
Inclyta Francorum totáque nobilitas.
Ante alios tamen exſpectant te præſul vterque;
Et qui Bambergam, & qui regit Herbipolim;
Vſuri in rebus, te conſultore, gerendis,
Te dignus quotiens vindice nodus erit.
Et benè quod ſpem non fallis, STVRMERE, tuorum,
In patriam externo & ſoſpes ab orbe redis.
Ecce vnum e ſacro te poſtulat eſſe Senatu,
Et commune tua voce iuuare decus;
Franconiæ hinc primas princeps, hinc primus ab illo;
Magnus vterque ſacræ relligionis apex.
Gratuita & ne forte queat res illa videri,
Accedunt meritis plurima dona tuis.
Et quantum tituli, creſcat tibi nummus in arca,
Si foret, ingentes cogere auarus opes,
Vt velles; ſed tu cum ſacris vatibus omne id,
Commune eſſe tibi, pauperibuſq; iubes,
Sic quoque vix ſatis æqua tibi Fortuna, quod vltro
Aggerit: & ſola hac te ratione putas,
Quoſlibet aut Cræſos, aut Craſſos, denique & ipſas
Perſarum gazas vincere diuitijs.
Ad te igitur paſſim Muſis ſacra turba poetæ,
Ambiguo lapſis tempore rebus opem
Orantes veniunt, æterno ſole calens quîs
Quîſque rigens. patria eſt, perpete terra gelu.
Quos omnes tu conſilio, auxilióque benignus
Adiutos, grato ſuſcipis hoſpitio.
Nec tibi de Phoebi quiſquam indonatus alumnis
Vmquam abijt, vacuam aut extulit ære manum.

Immo, vota etiam multorum anteisse ferunt te,
Ingenuus quorum clauderet ora pudor.
Oblatisq́, vltro generosa silentia donis
Soluisse, & meritis digna habuisse tuis.
Quod quin sit verè dare bis, quicumque negabit,
Huic ego nil sanæ mentis ineſſe putem.
Exorata diu quisquis dat munera, iam tum
Pro impenso pretium munere grande tulit.
Orari at quicunque negat longa prece, & vltro,
Præsenti anteuenit verba loquentis ope:
Atque ita egestati, & pudibundæ consulit vnæ
Fronti, illum demum gloria vera manet.
Quanquam de te, aui, ô Phœnix rariſsime noſtri,
Pallada qui, quantum à Pallade amaris, amas.
Si taceant voces hominum, ſaxa ipſa loquentur,
Turrigerum & tollens ſidera ad alta caput
Comburgum; quam tu ſedem magis omnibus vnam
Poſthabita, dignam, quam Herbipoli coleres,
Duxiſti: Herculeo cum tecta vetuſta labore
Illius, & putri moenia quaſſa ſitu,
Dædaleo meliora opere, & maiora locaſti,
Omnia regifico cultu ea reſtituens,
Quæ vel longa dies, longus vel adederat vſus,
Paſſa erat aut nihili cura perire hominum:
Ædemq́, inſignem, & dignam Phœbo inſuper adæs,
Structis de pario marmore fornicibus,
Idem quam Phœbus propriam, Muſæq́, fatentur
Munere ſe æternum velle habitare tuo.
At te præſertim, ſibi rectè, & ritè dicatam,
Certa illis quo iam tempore nulla foret.
Hoc tantum, hoc inquam, vt vates tua facta ſilerent,
Te, æternum, haud vna voce loquetur opus.

A quo

A quo cum iam te, medio in molimine rerum,
Auxilij cupiens consilijque tui;
Abstractum ad sese oblato inuitasset honore,
Vno qui demto, à præsule primus erit;
Vnanimisq; Decanum te sacer ordo vocasset,
Herbipolim augusto qui regit imperio:
Dandum aliquid patriæ credens, precibusq; tuorum,
Quo ruitura humeris sidera fulsit Atlas
More, subis tantæ molis, non nescius illud,
Quam magni, & quanti ponderis esset, onus.
Neue adeo id possis cuiquam feciſſe videri,
(Pronior vt falsum credere turba sumus)
Ambitione magis, patriæ quam impulsus amore,
Quæ tibi plus oculis semper amata tuis.
Compositis dextrè præsentibus vndique rebus,
Consulto in longum quod potuitq; diem;
Subtrahere vt primum tibi fasq; piumque putasti,
Gesto cum summa laude tua imperio,
Sponte resignato, lætus discedis honore,
Ac veluti externo quem tenet in populo
Ira maris violenta, Austris turbantibus æquor,
Et miserum cara diuidit à patria,
Venti vbi tantillum aduersi posuere, rudentes
Expedit, & reduci carbasa plena Noto
Pandens, hortatur læto clamore vicissim,
Gaudia magna animo præcipiente, suos:
Comburgum, quoque tum quod respectare solebas,
Cum mandata tibi publica cura foret,
Respicere vt notas sedes solet, ire viator
Ignotos certus visere Hyperboreos:
Comburgum haud aliter remis velisque reuerti,
Et mœstam properas deserere Herbipolim.

Herbi-

Herbipolim ſibi quæ te feliciſsima alumno
Viſa diu, tanto at nunc ſpolianda bono,
Sic te dimittit, natum vt pia mater ab vlnis,
Quem ſolum vitæ cauſſam habet illa ſuæ.
Nec tu non tanta illius pietate moueris,
Omnia ſed Phoebi talia vincit amor.
A puero tibi qui ſic imis oſsibus hæret,
Vilia ſint animo vt cætera cuncta tuo.
Ergo Comburgum ad Muſarum ſacra reuerſus
Tandem adyta, & cura moenia ſtructa tua:
Maius opusq; agitans, (neq; enim, PETIT ARDVA VIR-
Inſcriptum fruſtra in fronte, animoq; geris.) (TVS,
Magnorum regum, quorum aut par forte poteſtas,
Cum magnis Romæ regibus ante fuit,
Exemplo ſtatuis, congeſtis vndique libris,
Bibliothecam almæ velle dicare Deæ;
Cui Magnus, tanti menſuram nominis implens,
Olim Byzantij maxima templa dedit.
Præclarum ſtudium; Perſarum quodque monarchæ,
In reliquis cura dignum habuere ſua.
Quorum, ſi qua fides ſcriptis adhibenda Pelaſgis
Prima olim Suſis bibliotheca fuit.
Nec ſegnes parte hac ſtudiorum mater Athenæ,
Non bene commendet quamlibet auctor opus;
Ad ſe translatis quem Palladiæ vrbis habenis,
Facti huius ſolum haud poenituiſſe ferunt.
Tertia Pergameo debetur gloria regi,
A quo membranæ nunc quoque nomen habent.
Millibus at quantum hunc aiunt ſuperaſſe trecentis
Librorum, cunctos, quos Dea Fama canit:
Tantum Ægyptiaci ſuperatur laude Canopi,
Et Ptolomæis ipſe voluminibus:

Millia

Millia septingenta domum congesta cui sunt,
Diuinæ inter quæ dogmata legis erant.
Sed nec Romanis res hæc neglecta remansit,
Otia perdomito vt fecit ab orbe Deus.
Sacra Palatini nam quid penetralia Phoebi,
Quid memorem, quæ gens Vlpia constituit?
In nostri potius descendam temporis annos,
Quo Vaticani est maxima fama loci.
Nicoleos Quincti cura, & labor; vrbium in vnam
Cunctarum, Ausonium qua patet imperium,
Qui congesit opes, auro chartacea pensans
Munera, & hoc dignus perpete honore coli.
Post Vaticana, hoc Veneti sacraria Marci
Inprimis etiam nobilitata placent;
Graiorum quod tot diuina volumina, Graij
Clausa sinu studio Bessarionis, habent.
AEmula cui parte hac etiam Florentia, merces
Non tantum in similes prodiga visa fuit:
Et meruit plexa hinc omni florere corolla
Tempore, Flora in quam nil Dea iuris habet.
Vertice qualem dum mauis, clarissime regum,
Quam fabram gemmis sustinuisse tuo,
Francisce, orbis amor, Francorum antiqua propago,
Quid non bella licet inter, & arma facis?
Sed te, quæ dixi bella, in diuersa vocabant,
Et tua in vnius Gallica sceptra manu.
NEVSTETTERVS, (*vt vnde abij post multa reuertar*)
Huic vni vt posset deditus esse rei;
Exuit vltro, alij, quos demirantur honores,
Conceptum ne animo quid remoretur opus.
Ergo breui surgunt regali splendida sumtu
Atria, stántque suis pulpita iussa locis.

Atria

Atria magna quidem; digna & spatiosa videri; at
Quæ sint hospitibus parua futura suis.
Inter quos ineunt augusti limina templi,
Parte & ab ingressu dexteriore sedent;
Ordine primo illi, quorum Deus ore locutus,
Quæ facienda homini, quæ fugienda, monet,
Veriloquis Moses comitatus nempe prophetis;
Scriptoresq; sacræ quattuor historiæ.
Impleuere cohors sedes numerosa secundas
Hinc, re vera isto nomine digna, patres.
Inter quos, tantum Hipponæ prælucet alumni
Ingenij, sociis concomitata tribus,
Fax reliquis, quantum stellas splendore minores
Vincit, qui longe haud nuntiat esse diem.
Sunt tamen hic etiam nulli pietate secundi,
Doctrina & cuiuis eloquioq; pares:
Græcia quos partim, partim tulit Itala tellus,
Francia partim etiam & Gallia nostra dedit.
In quis præcipui, Florens, Arnobius, & qui
Cypridis à sancta nomine nomen habet.
Quique Arpinati gentes Lactantius ore
Solum vnum docuit numen habere Deum.
Ordine ab hoc ordo qui proximus, hunc tenet ingens
Turba, sed hic numeris non memoranda meis,
Illorum, vera pro religione, fideque,
Quis mandare pijs multa voluminibus,
Cura laborque fuit; nunc sunt sua præmia laudi,
Præmia, cum tanto digna labore capi.
Atque hi dextra tenent merito loca, parte sinistra
Sedes prima etiam vt Iustiniane tua est.
Cæsareo in solio hic tu multo insignis honore,
Iurisconsultis cinctus vtrimque sedes;

Quos

Quot fœcunda foro hęc vrbs numquam triplice misit,
Aut centum hasta virûm erecta sub arbitrio;
De quibus vt priscos mittam, responsa Deorum,
Quorum, non hominum reddita voce putes.
Bartolus hic, Balduſque, duo clarissima Iuris
Lumina, & à Phœbo vt Delia fratre solet;
A quibus accepere suum, quot secla tulerunt
Postera, nunc etiam hic qui velut astra micant.
Consultos Iuris, (quorum qui nomina tantum
Tentabit numeris velle referre suis;
Dicere tentabit quot depascantur in Hybla
Dædaleos flores, tempore veris apes.)
Arte potens patria, medicisque Epidaurius herbis,
A dextra insequitur cum choro & ipse suo.
Inter quos merito est Coi laus prima Magistri,
Pergama quem mittunt proxima discipuli.
Prætereo reliquos; quid enim cum Mesue poeta?
Carminis auctores, carminis auctor, amo.
Nec mihi quærendi hi longè, aut trans vasta petendi
Æquora, vicino sunt in honore loco.
Et iure hoc, meritóque suo; cura altera námque,
Audit Cyrrhæi Musica turba Dei.
A medicis ergo ad melicos recto ordine vates
Itur, habet causſas resque etiam ista suas.
Diuinos vates, quos inter primus Homerus,
Atque hedera tempus cinctus vtrumque Maro.
Occupat hinc, artem, vicina sedilia, amandi
Qui docet, heû Getica non bene tectus humo;
Cum gaudente foco semper lucente Tibullo,
Itala quemque suum Callimachum ora vocat.
Hos sequitur Parios Latio qui ostendit iambos
Princeps, Ausoniæ gloria sola lyræ.

Pindarus

Pindarus vt tamen hunc præcedat in ordine, vt annis,
Voce tuam cui das, Phoebe, animare chelym.
Lucius inde alio frangit subsellia plausu,
Et regnat tragica solus in historia.
Solus de Romæ populo; nam Græcia parte hac
Ditior, huic similes tres etiam ante tulit.
Prima Sophoclæi quos inter fama cothurni est,
Proxima displicuit cui mulicbre genus:
Quis iunge, vt plenus tibi sit ternarius, vnum,
AEschilum, habes Latium hic, quidquid & Hellas
Sed nos omissis hac tempestate tragædijs; (habet.
(Turba in quas æuo hoc ingeniosa sumus)
Vicini potius spectemus schemata Plauti,
Afrique; Ausonium quos penes eloquium
Esse duos quicunque negat; scena exeat Afri,
Exeat & scena, Plaute iocose, tua.
Persequerer satyra & vitijs qui bella minantur;
Et quot præterea hic mille videre iuuat,
Tam priscos vates, quam nostri temporis, vt sunt
POSTHIVS, *& culti carmina Flamminij,*
Celtesque & Strozi vates, & vterque Secundus,
Sed mea tam longas currere lintre vias
Musa insueta leui, portus intrare petitos,
Et fessæ properat demere vela rati.
Hinc obiter tantum in transcursu pauca notamus,
Nunc quoque & à vatum Pieridumque choro,
Magnum ad Aristotelem, & diuini oracla Platonis,
(Namque exaduersa hi vatibus ora leuant;)
Transimus, dictaque illis de more salute,
Quot Sophiæ studium hic cum Cicerone tenet;
Dum primas rerum gaudent cognoscere causas,
Et dignum hoc scitu quidquid in orbe latet:

Ad

Ad loca digredimur noſtri inferiora Lycæi,
A dextra quorum prima Matheſis habet.
Cuius non tantum hic ſcriptores ordine cunctos,
Aſt inciſa notis cernere & illa licet:
Ipſe etiam Euclides quorum ignorauerit vſum,
Quemque ferunt docto in puluere obiſſe diem.
E regione horum hiſtorici, quot tempore ab illo,
Quo primum Heſperio Phoebus ab axe diem
Inuexit mundo, noſtra vſque ad ſæcla fuere,
De quiſcumque orbis partibus, & populis,
Sede ſedent celſa; & narrant quibus artibus ille
Perdiderit, quibus hic condidit imperium.
Thucydidem Herodoto hic iunctū, & Xenophonta vi-
Hic titulus cuius bibliotheca libro eſt. (deres,
Liuius hic, & qui vitas à Cæſare primo,
Perducunt magni ad Cæſaris imperium,
Præſenti præſens præſentes numine terras
Qui regit, & nonus ſanguinis Auſtriaci eſt.
Adde his, Ploutarchum, & quos verſu dicere non eſt,
Quique nouos orbes, Turcica & arma canunt:
Et qui Boiorum, aut regni incrementa Poloni,
Res Venetas, vel qui, vel tua geſta Ligus,
Denique Francorum qui fortia facta recenſent;
Et quis materies Belgica noſtra fuit.
Hiſtoricos propter, veterum monimenta parentum
Sunt calamo expreſsi, ingente labore, libri.
Theſaurus verè contra auro carus, vt auro
Omni etiam eſt domino carior ille ſuo.
Nec vicina cui tantum de marmore ſigna
Atque efficta ſuis omnia imaginibus,
Quotquot in orbe vmquam rerum miracla fuere,
Sint curæ, quantum his ſcripta voluminibus.

Sed

Sed iam ſperatos ſubeunt mea carbaſa portus,
Carbaſa tam vaſto non ſatis apta mari.
Quare votiuis pauca hæc inarata tabellis,
Ingenibus figo, & dedico, ERASME, *tuis.*
Quod reliquúmque oro incolumem nobisque, tibique,
Te Pylij ſeruet per tria ſæcla ducis;
Quem penes humani generis cuſtodia ſolum
Eſt, fuit, atque omni tempore ſemper erit.
Nil pro me cœlum, & numen cœleſte fatigo,
Sat mihi, STVRMERO *ſoſpite, diues ero.*
Cui dum ſæpe dies, à mente, & corpore ſano hæc,
Tam fauſtis, quam nunc, fulgeat alitibus;
Iam patriam mihi, me patriæque ex parte putabo
Redditum, & hic dicam, Bruga futura mihi eſt,
Comburgum aſtrigero qua vertice ſidera tangit;
Si potes, æternum Belgica BRVGA *vale.*

Ad Illuſtrem Comitem CAROLVM EGMONDANVM &c.

Elegia IIX.

Dulce meæ decus, & ſpes, EGMONDANE, *iuuentæ;*
Quo mihi ſuaue etiam ſit moriente, mori.
Quis Deus oppoſuit noſtris ſua numina votis,
Et vetat ingenio te dare vela tuo?
Scilicet huic curæ eſſe tuam, cariſsime, vitam;
Monſtrandam hac orbi quam ratione putet.
Vt cum te teneris videat conſueſcere ab annis,
Dura pati; infractoque omnia ferre animo;
Olim non dubitet rerum tibi tradere habenas;
Belgicaque in manibus ponere ſceptra tuis.
Multa tuliſſe animos facit in quæcumque paratos,

Atque

Atque hinc quid fugias, quidue sequaris habes.
Hocque Ithacum dius laudauit nomine Homerus;
Et dignum longa credidit historia.
Ergo, quidquid erit, fortunæ obnitere; vinces,
CAROLE, *consueta dum mala fronte feres.*
Est durum, fateor, tyroni; principia inter
Cernere; & hoste sibi cæso aperire viam:
Sed durum hoc olim tibi proderit; & tibi quondam,
Hic pariet cum re gaudia vera labos.

Ad IOHANNEM POSTHIVM Archiatrum WIRZEBVRGICVM Elegia IX.

Quid metuis tetricæ, bone POSTHI, *verbera linguæ;*
Multa quod in libris sit tua Caia tuis?
Frustra est cura imo quam versas pectore fixam;
Nil censura tuo hæc, POSTHI, *in amore valet.*
Hos odêre, illi, pietatem iungere Musis
Quîs labor, illicitas qui cecinêre faces.
Hos odêre inquam, doctiq́, boniq́, pudenda
Quorum nil præter crimina carmina habent.
At licitos lusus, & castos scribere amores,
Cúmque Catone Cato, Pompiliusq́ probent.
Quod metuas igitur, Vates cultissime, non est,
Permissis ludat cùm tua Musa iocis.
Nec princeps adeò ad famam hæc grassaris; habemus,
Exemplo quorum quod facis; omne facis.
Nam quid Pontanus faciles nisi cantat amores,
Castaque legitimi vincula coniugij?
Quid magnus Cæsar, non dico magnus in armis,
Sed verè hoc ipso maximus in studio;

An non ipse sui praeco est ardoris, & ignis.
Quem facit in molli pectore mollis amor?
Deniq; Castalio quid agit dominam anxius orans,
Vt pelagi fugiat, hispida monstra, Deos?
Ergo parce metu ô Phabo gratissime Vates:
Nil qui te hîc possit carpere rumor habet.
Tantùm quod facis, vsquè face, vt coniuncta legantur,
Donec erunt ignes, carmina donec erunt,
Nomina BLANDINAE, *&* POSTHI; *Vate sq; & amantes*
BLANDINA *vsq; sonent,* POSTHIVS *vsquè sonent.*

AD PAVLLVM MELISSVM.
Elegia x.

Quid me, PAVLLE, *iubes desuetas pollice chordas,*
Et quondam nostræ fila mouere lyræ?
Expulit hoc studium patriæ pereuntis imago,
Quæ mihi nocte astat, quæ mihi luce dolor.
Nec patitur tam lenta Deûm in nos ira remissum
Vllum, vel festum quod videatur, opus.
Tum mea nostrates audita est Musa per vrbes,
Dum flauit Belgis aura secunda meis.
Omnia postquam ai nunc vertêre, arisq; relictis
Excessere adytis numina nostra suis;
Assiduos prater quid restat fundere questus;
Quid reliquum est præter flere perenne mihi?
Et scio, non facit hæc nostro medicina dolori;
Debetur patrijs sed tamen illa rogis.
Ipse nec hoc, nisi te malè noui, PAVLLE, *negabis;*
Hic quoq; sed dices velle tenere modum.
Quod tibi per nostras, semper mihi numina, Musas,
Per quot sunt vsquam carminis artifices

Iuro

Iuro, MELISSE, velim quoq; idem, verum intus agit me;
Et stimulat maior pectora nostra Deus.
Pectora, nulla, inter tantas capientia curas,
Gaudia, iamque vnis pendula ab indicijs;
Excisam hanc quæ nunc narrent cum ciuibus vrbem;
Ferro expugnatam hanc vltima cuncta pati:
Nunc acie referant certatum, & sanguinis isse
Riuos; nec finem hic bellum habuisse suum;
Verum aliam ex alia pugnandi emergere causſam,
Nec pausam saltem his tantulam adesse malis.
Sed solo pelli grauiore dolore dolorem;
Et vetera acceptis cædere damna nouis.
Quin torpere metu multos iam, aut tædio euntis
In longum belli, deuia rura sequi.
Extremosq; hominum, ad quos tanti fama laboris
Non penetret, (talis si locus esse potest)
Secum agitare; olim vt Poeno victore feruntur
De cedenda illi consilium Italia,
Quærendaq; alio terra sub Sole calenti,
Cepisse infami turba notata metu:
Scipio quod, stricto in iugulum mucrone, repressit,
Perneget in patria qui regione mori.
Et bene Scipiadæ iuuenilia pectora virtus
Pro patria pugnam cogit inire sua:
Res etenim aduerso quamuis sub Marte iacerent,
In commune tamen consuluere patres.
Carpitur interno & ciuili Belgica bello,
Scinditur in partes, pars modo & vna, duas.
Nec stat fine malum hoc: diuisa à corpore membra
Singula, totius corporis instar agunt.
Inde fit vt rerum populus dum quisq; suarum est,
Dum sunt & rerum quiq; suarum homines.

Publica sub pedibus calcentur commoda, nec iam
Cura tibi patriæ Belgæ sit vlla tuæ.
Quantum erat hà satius positis discordibus armis,
Vestrum vnum fieri corpus, vt ante fuit.
Coniunctisque animis operam id dare, vt aurea vestris
Pax terris, patrum & tempore qualis erat,
Se post liminio metuendi libera reddat,
Quam quondam, cupiat rursum & habere domum.
Haud dubiè hæc ratio tibi, patria, & vnica, & vna est,
Tangere te ratio si tamen vlla potest,
Impendens iam iam qua declinare periclum,
Et tibi te reddi Belgica posse putem.
Surdior Oceano sed tu, quo cingeris, vt si
In regnis non iam nota sit illa tuis;
Quas homini natura dedit pax optima rerum;
Aut sit iam Mauors quod tibi ea ante fuit:
Consilij impatiensque boni & quæque optima cernens,
Viua, vidensque vltro in deteriora ruis.
Cum tamen interea tua me pereuntis imago,
O vita, atque oculis patria amabilior;
Sollicitat miserum assiduè, atque Helicone relicto
Hæc eadem in solis sæpe iterare locis;
Has iubet in Cocyti ripis iactare querelas;
Has tibi in hoc ipso mittere epistolio,
Ne frustra, decus ô vatum immortale, MELISSE,
Quot tulit, aut post hac Teutonis ora ferat;
Nescio quid post hac exspectes carminis à me,
Cuius iam generis copia nulla mihi est.
Vtque scias, tua me rebus solatia in arctis
Pro nostra potius poscere amicitia.
Quæ lacrimis adhibere meis, sed fortia, si non
Esse tuo indignum duxeris officio:

Forsitan

Forsitan efficies, fieri quod posse negaui, &
Carmine restitues me mihi PAVLLE tuo.

Ad ROBERTVM & IOACHIMVM MATHANOS, fratres germanos, Gallos Normannos, domi nobiles. Elegia XI.

Ne viuam, MATHANI, aliquid si dulcius vsu
Vestro, si alloquio suauius esse potest.
Recte igitur, quisque ille fuit, qui dixit; vt ætas
Non sapere vlla affert; non sapere vlla negat.
Scilicet, vt cano non omni est addita virtus;
Nec, vitio vt careas, sit satis esse senem:
Sic neque iuncta comes cuiuis it culpa iuuentæ:
Quæ gnaua in multis sedulitate viget.
Quorum de numero vos vt statuam esse, facit, quod
Nota magis nulli, ac vita vtriusque mihi est.
Non Veneri vita, immodico aut obnoxia Baccho;
Quæque alias mentes tertia Erynnis habet;
Insomnem in lusu, & talis traducere noctem,
In lusu nocti continuare diem.
Non studia hæc, inquam, vestræ malesana iuuentæ,
Sed directè illis vsque aliena placent.
Pallas pro Venere, vt, pro Baccho Phoebus Apollo:
Pro lusu veterum fortia facta ducum:
Quæ vos dum legitis cum cura singula; dumque
Sublegitis cauta, vt quæque notanda, manu:
Thesaurum vobis auro contra Herculè habendum,
Ingentesque animi, hoc more, paratis opes.
Sed quarum pretium res tum demum ipsa loquetur,
Cum magno quondam consilio vsus erit.

Quod, pro continuo tantum vos semper amore
MATHANI, admonitos à MODIO esse volo:
Omni quo vobis nisu contendere certum est;
Pergatis niti hac semper vterque die.
Quæ bona sunt, odere moras; & crastina semper
Lux sera est; hodiè res age, si quis agis.

Martinalia Anni cIↃ. IↃ. LXXXII.

Elegia XII.

Bacche pater, seu tu dici lætaris Osiris;
Quo nullum maius numine Memphis habet.
Seu quocumque alio indigetari nomine gaudes;
Respice me, & facili huc numine dexter ades.
Quod per te huic felix vindemia contigit anno,
Plurimus & læto vinitor ore canat:
Quod spument rauco feruentia musta susurro,
Pressaque quod capiant vix modo vina cadi:
Gratia magna tibi est: talisque vt sæpe redire
Bacche velis, passim fœmina virque rogant.
Promittuntque aram & tua dulcia dona tenentes,
Primitias mellis quisque, merique sui:
Te sibi præcipuo venerandum semper honore,
Et paria haud templis vlla futura tuis.
Fallor, an insueta,, & qualis solet esse Deorum,
Vox mihi ad attonitas accidit auriculas?
Non fallor. Deus ipse, Deus, sibi pacta placere,
Voce sua nobis testificatus adest.
Ergo igitur bona turba boni, veneramini, agrestes,
Tam præsens vestri numinis auxilium.
Exhinc iam veniet melior, meliorque quot annis.

Francica

Francica io feſta compìta voce ſonent.
Frigore non poſthác, non dirᵃ clade pruinᵃ,
Non niue vites, vel grandine lædet hyems.
Nec vos fruſtrato ſumtú, ingratoque labore;
Dicetis vacuis non bona verba cadis.
Euie io lubet ad lucem de parte ſororis
Addere, quod potu & carmine tempus eat.
Ad ciathos, inquam, menſaq; ad fercula plenᵃ
Iam lubet in multo peruigilare mero.
Sic tamen, vt ne quid nimium: vt ſemper memores ſint
Officij interea menſq; pedesq; ſui.
Turpe eſt muneribus diuúm per crimen abuti,
Quodq; fere impune haud numina abire ſinant.
Præſertimq; Deus noſter, Deus & vehemens eſt,
Et qui ſe vilem non ferat eſſe ſuis.
Teſtes Penthæo rorantes ſanguine thyrſi,
Et nunc Delphines, nautica turba prius.
Quin non contentus ſolos punire nocentes,
Inſontes mactat ſæpè etiam ille malo.
Credo, quo mage dent operam, ſatagantq; monendo,
Quales ipſi ſunt, cæteri vt eſſe velint.
Quod minus ac decuit gnauè, & molimine magno
Autumnos factum cum foret ante duos;
Me miſerum: quanto ſenſit vindemia damno,
Offenſam populi frigore adusta ſui?
Horreſco referens, pendebant vitibus vuæ,
Non vuæ, vuarum ſed vacua vmbra magis.
Pendebant, inquam, exſangues, rugoſior illis,
Siccior & (ſi ſit fas modo vera loqui)
Vt ne charta quidem Veneris vicina marito,
Aut radijs Phœbi pergamea eſſe queat.
Aut ſi parte aliqua violens minus ira fuiſſet

Frigoris; hic laticem non dabat vua suum.
Sed succum succis taxi qui tristior esset:
Vinceret & quauis toxica amaritie.
Hoc cum animo tempus reputantes quisq; bibamus;
Cogitet hoc festa vir mulierq; die.
Fortunam, rebus meditans aduersa secundis,
Irritare suam qui cauet, ille sapit.

In Natalem ERASMI NEVSTETTERI cognomento STVRMERI &c. Elegia XIII.

Ille ego, qui dixi, lux septima mense Nouembri
Tam tibi formosis sæpè recurrat equis;
Cum me de numero iussisses esse tuorum,
Ante annum ipso hoc, ni fallor, ERASME, die:
Nunc quoq; idem dico; & numen prece supplice adorans,
Quod regit arbitrio nostraq; nosq; suo;
Vt rata sint iustè, iusto, quæ iusta precamur,
Det dictis quæso pondus inesse meis.
Et dabit, est aliquid, pro iustis iusta precari,
Non solet hæc facilis spernere vota Deus.
Præsertim votis eadem cum mille petantur;
Hoc q; optent precibus fœmina virq; suis;
Quorum spes anima STVRMERI pendet ab vna;
Quorum, STVRMERO, spes, moriente, cadant.
Euentura igitur, precor audit publica latus
Vota Deus; vanas nec sinit esse preces.
Macte igitur tali longum dignissime honore,
O MODIO in patrio semper amande loco:
Macte Dei dono, STVRMERE, ætate senecta:
Quod quantum est verbis nos docet ipse suis:

Qua

Qua nos parte iubet senibus parere, & honorum
Maiorum canis ire habitum omne genus.
Pramia promittens facturo hoc maxima; vitæ
(Nil potius visum est) tempora longa suæ.
Munere STVRMERE, hoc, inquã, macte esse memento:
Hac, & sponte, tenus, quod facis, vsq; face.
Iamq; hic in terris diuos imitare merendo:
Non est ad cœlos promtior vlla via.
Multos demeruisse tibi, te æquabit Olympo:
Hac vna iam nunc re Deus esse potes.

Ad NICOLAVM REVSNERVM I. C.
Elegia XIV.

Magne poeta, poeta tui rarissima sæcli
Gloria, cui Phœbus, cuiq; Minerua fauent:
Sis felix, nostrumq; leua sermone laborem,
Quo post te siluas, duraq; saxa trahis.
Belgica vastatur tot iam labentibus annis;
Distrahitur dextris & misera ipsa suis.
Belgica natalis tellus mihi, & hospita quondam
Mercury, & quantum est Musica ab arte Deum.
Nunc ferale virûm & virtutum facta sepulchrum;
In proprio patiens sanguine naufragium.
DI, quibus imperium tanto olim tempore nostrum
Et stetit inmotum, & floruit auspicibus,
Quid fuit, istam alium cur transferretis in orbem
Fortunam, & nostros linqueret illa lares?
Auri sacra fames, & tu sitis acris honorum;
Quos redimi vita & sanguine dulce putas:
Vos Belgas vitys lacerandos mille dedistis;
Abdentes cacas ciuica in arma manus.

Abdentes, inquam, dextras ciuilibus armis,
Vos stimulos animis subditis vsq; nouos;
Indomitum ô desiderium quam plurima habendi,
Tuq; adeo in titulos ingeniosa tuos
Ambitio; ferale malum; communis Erynnis,
Quot pereunt vitijs hic, & vbiq; suis.
Cum tamen interea tantorum causa furorum,
Fingitur antiquæ relligionis amor.
Heù pietas! etiam huc durauimus vsq; prophanis
Misceat humana vt te quoque culpa malis?
Huc, inquam, ventum est, ipsos in crimina diuos,
Et cœlum exitio vt mens trahat ægra suo?
Sint quæcunque tamen, quocunq; & nomine dignæ,
Quæ Belgas turbæ seditione premunt,
Non me aliter versant, & cura perpete adedunt,
Quam priuata mea hæc si mala cuncta forent.
Cui medicinam vt tu facias, REVSNERE, *dolori;*
Sed quali fieri carmine morbus amat,
Te, per serta precor. quæ vertice laurea honoro,
A Emiliano olim Cæsare dante, geris.
Quod medici succi in morbis sunt corporis, illud
Sunt animo, melici, non bene habente, soni.

Ad Io. POSTHIVM, Archiatrum Wirzeburgicum, de filiolo eius ERASMO.

Elegia XV.

Dum nos Franconici miramur pinguia regni
Culta, & solipetis pendula vina iugis;
Qua, cum vicinæ Bambergæ principe, princeps
Herbipolis, populis curat vterq; suis:

Nec

Nec modo diuitias oculis metimur apertas,
Quîs vos telluris fertilia arua beant:
Viscera sed magnæ matris penetramus in ipsa,
Scrutantes cæcus quæ bona Plutus habet:
Quis mons argento, & quis mons meliore metallo
Prægnas sit, facta haud quærimus ante via:
Quid tu Musarum, POSTHI, *iustissima cura,*
Quid tuus interea POSTHIOLVS QVE *facit?*
Anne hic patrissans iam nunc nutricia cantat
In cunis, certis flens quoque, amice, modis?
An, quod ne sierint diui, quod abominor, artem
Et studium exercet nocte dieque tuum
In re diuersa, & morbis puerilibus infans
Tentatus, patriam, qua pote, poscit opem?
Multa hoc, in multis ætas infirma vereri
Eius me, & metuens omnia cogit amor.
Spem sperare bonam contra tua cura iubet me;
Maiorem hac quam te ponere parte decet;
Quo tibi maior erit recreatus gloria natus
Ate, per medica gramina cocta manu:
Ate idem vitæ qui iam ante acceperat vsum,
Et communi alijs more creatus erat.

In natalem suum.
Elegia XVI.

Este stryges procul hinc, & vos obscoena valete
Omina, sola hodiè dextera cantet auis.
Nonæ hæ sunt mihi natales: in luminis auras
Edito hic occœpit primus & ire dies.
Ergo igitur festa velemus tempora fronde,
Mactantes sacros thuris honore focos.

Libe-

Libemúsque patrum diffusum ætate falernum;
Captantes sparso prospera signa mero.
Vota precesque ego concipiam pro tempore, sed quid
Tam valido increpuit laurus adusta sono?
Dique deæque omnes faciles mihi adeste precanti,
Et sacra ista bonis cernite luminibus.
Tuque adeò, ante alios cuius celebramus honores,
Da Genie in verbis pondus inesse meis.
Arcana nil voce precor; licet audiat omnis
Regia stellati parte ab vtraque poli.
Tantum sit placidæ decurrere tempora vitæ
Inter Hamadryadum Pieridumque choros:
Adque aliquam liceat grassari carmine famam,
In scriptisque meis plurimus esse velis.
Non mea quo Batauo contendãt scripta SECVNDO; *aut*
Certet DVZAEIS *pagina nostra iocis:*
Improba sint nimium, nimium & temeraria vota
Ista, satis calo est tollere posse caput.
Aurum dumque alius cogit sine fine modóque;
Congerit & magnas Alphius alter opes:
Sola mihi petitur laudatæ hæc gloria famæ,
In studijs totos conteruisse dies.
Si modicum ergo quid MODIVS *tua numina posco,*
Esto æquus precibus tu quoque, diue, meis.
Quique habeam sperare bonam spem, me omine dextro
Prosequere, vt sacris te sciam adesse tuis.
Dixi ego, moxque iterum valido increpuisse sonore
In medijs visa est laurus, vt ante, focis.
Quo mihi promittens Genium in mea vota secundum;
Te moneo ad festas, turba, venire dapes.
Et bene vos, bene me, Genium bene dicere nostrum,
Dum soluat fessos vespere Phoebus equos.

Ad

Ad ANNAM PALLANTIAM.
Elegia XVII.

Cura deûm, miraclum hominum, PALLANTIA *salue.*
Tu mihi Palladij numinis instar eris.
Instar quid dico? non tu mihi Palladis instar;
Ipsa mihi, virgo, sed magè Pallas eris.
Ergo faue; tibi surget opus; te nostra loquentur
Plectra; heù quam plectris non satis æqua tuis?
Te solam ipse suis resonabit Rhenus in vndis;
Te solam solis numina læta locis:
Te saltus, siluæ, montes, valleſque feræque,
Te qui errat tremulis ventus in arboribus.
Et merito mihi te resonabunt omnia; nam quid
Inuenias toto dignius orbe cani?
Vixdum etiam, nisi me decepit credula amor res,
Altera ab vndecimâ Bruma peracta tibi est,
Et iam audes ipsam Sophiæ peruadere in arcem,
Miscere & Latijs pallia Græca togis.
O certè dea; non hominum de stirpe, cui se
Tam teneræ, atque artes fauit Apollo suas.
Ite, agite, ignaui, sine nomine turba, poetæ;
Palladáque exemplo ponite in ante meam.
In vestrum nummum pignus dabo magna talenta,
Quot bona de vobis carmina quisque facit:
Si non & versu antistat PALLANTIA: *& arte,*
Humanum vnde genus nominis omen habet.
Mussant iamdudum victi; dominamque fatentur;
Et faciunt, vino, dia puella, tibi.
Macte mero, faciliſque pijs vatum annue votis,
Digna etiam præsens numinis esse loco.

Macte

Macte meróque inquam; celebrēq; age læta triumphum;
Ausonis ora ori cedit & ipsa tuo.
Præcedent vincti currum sine honore poetæ,
Optantes genij vim sibi quisque tui.
Quadryuges fama ipsa vehet super æthera cæli,
Et patria indigetum sistet in arce deam.
Quid cælum dixi? quin cælum sera reuise;
Aut captas terras, si pote, semper habe.
Annuis? æternum & terras PALLANTIA *habebis,*
Iam dea, iam quouis digna & honore coli?
Ergo mihi longum, ô cælestis curia, salue.
Cum diua hic semper stat mihi habere mea.

Ad C.V. IVSTVM LIPSIVM Quæstiones Epistolicas vulgantem. Elegia XIIX.

Mens animi iactata velut ratis, æquora venti
Dum turbant, membris denegat officium.
Nec potis est doctis desueta sororibus, olim
Quæ mage grata alijs numina numinibus,
Promere verbum vllum, quod sit memorabile, vel quod
Sit dignum à sera posteritate legi.
Anxia sed patriæ casu infelicis, in vno hoc
Consumit vitæ tempus inane suæ.
Longè sunt studia, & studiorum præses Apollo, &
Quidquid Bellonæ non facit ingenio.
Armorum strepitu, & vario clangore tubarum,
Personat exoriens, occiduusq; dies.
Miles agit prædas, totisque incendia campis
Excitat, agrorum diripiuntur opes.

Exsul,

Exsul, inops, operæ quondam bona turba colonorum
Ignoto dubium cingitur ense latus.
Expugnatæ vrbes, quacunque licentia, & excors
Dictat vesani militis ira, ferunt.
Sacra, profana hostes iuxta rapiuntque, trahuntque,
Non templis cautum relligione sua est.
Virginitas intacta diu seruata puellis
Eripitur, miserorum ante parentum oculos.
Mater anus, natæ officium lenæ exhibet; ipse
Cogitur vxoris leno vir esse suæ.
Quæ tamen vt parui fiant; quia parua putantur;
Quis bonus in reliqua vi scelerum taceat?
Matrum quis ferat infantes ante ora necatos,
Totque senes fato non periisse suo?
Quis, quæ prætereo, tot facta immania? prosit
Quæ memorare nihil, & memorare piget?
Non ego. & hæc inter dum mens incerta futuri
Pendet; nulli alij est apta ministerio.
Quanto tu melius, LIPSI, bella inter, & enses,
Acrius incœptum qui tibi pergis iter.
Non, quod non patria instanti moueare ruina,
Cui magis est vita hæc semper amata sua:
Sed quod ei prodesse nihil priuata bonorum
Consilia, at ventis ludibrio esse vides.
Ergo inter Musas, carumque ante omnia Phœbum
Ducis pangendis tempora carminibus.
Carminibus; sua quæ doctus putet esse Catullus,
Iuret Romanus quæ sua Callimachus.
Aut membra affecta in prisci scriptoribus ani
Ingenij sanas dexteritate tui.
Hinc loca tot Liui, loca tot Ciceronis, Agelli,
Plauti, Varronis, Paccuuij, Taciti:

Marcel-

Marcelli, Festi, tibi se debere salutem
Clamant, obductis integra vulneribus.
Te patrem, te patronum haud inuita fatentur;
Et iactant genij dexteritate tui.
Non tineas, blattasue dehinc, non menda verentur,
Omnia te credunt sospite tuta sibi.
Nec frustra credunt: testes sunt quinq; libelli,
Quo nullum in genere hoc clarius exstat opus,
In lucem emissi nuper, curante Minerua,
Et placiti cuiuis, cui modò & ipsa placet.
Testes, tot monumenta emissa prioribus annis,
Testes, quæ Phœbo nunc faciente paris.
Hos libros dico, quis nomen epistola, mendæ
Scriptorum innumeræ materiem dederunt.
Libros: sed quid opus longum deducere versum?
Ipsi se populis vtilitate probant.
Vtilitate, inquam, & lecto sermone, quod vnum,
Vt commendentur non aliundè, sat est.
Vidi qui magnas magno conamine nugas
Diceret, at dictis resq; salesq; aberani.
Vidi verboso ingentem qui carmine librum
Texeret, at verbis non nisi verba dabat.
Solus tu, LIPSI, sic iucundo vtile misces,
Cuncta loqui Phœbo vt te præeunte putem,
Ergo ni sophia & virtus sunt nomen inane,
Te quoq; non vnquam fama tacebit anus.
Sed si certa sui facti stat gratia cuiq;,
Laudabit sæclis innumerabilibus.

Ad.

De eodem IVSTO LIPSIO ad Calliopen. Elegia XIX.

Dic mihi, Calliope, mea sola, & summa voluptas;
Quaque sine in vita hac sit mihi dulce nihil;
Ecquid agit, magni semper mihi numinis instar,
LIPSIVS? an solitis deditus in studijs
Ac longe à vulgi strepitu semotus, & omni
Cura, victurum in sæcula condit opus?
An patriæ potius sortem miseratus acerbam,
Luget, & inmites voce vocat Superos?
Certe credibile est illum, quamquam audiat absens,
Terra ea quam à teneris instituit vnguiculis,
Quæ fert quæq; tulit tot iam labentibus annis,
Non posse a lacrimis sæpe tenere oculos.
Nequiquam tamen hoc; nil verba precantia Belgæ
Diua iuuant; mixtæ nil precibus lacrimæ.
Quanto igitur satius, quam se vexare, nec hilum
Proficere; in solita conterere arte diem:
Et meditari aliquid, sæclis venientibus olim
Quod nullum finat æuum immemor esse tui;
Sed semper magis atq; magis laudetur, ametur;
Morte ipsa maius, maius & inuidia.
Hoc dignum IVSTO est, sed lucem ducere luctu
Hostibus eueniat, Calliopæa, meis.

Ad ERASMVM NEVSTETTERVM cognomento STVRMERVM Eq. Fr. De Io. POSTHII POEMATIS, Elegia XX.

Deliciũ Aoniæ & mel, NEVSTETTERE, *caterua,*
Aoniyque simul pars bona & ipse chori:
Quid tibi turba dabit te dignum Musica, vel qua
Sunt satis ex meritis dona futura tuis?
Nil mortale feres, si te tibi digna dabuntur,
Non capiunt tantum qua peritura decus.
Ergo quid, quid erit? mansurum in secula nomen:
Famaq; ab Eois dicta ad Hesperios.
Qua si parua cui merces, si indigna videtur,
Hunc ego iurarim mente carere bona.
Nil maius præstare potest mortalibus ipse
Iuppiter, & magno iuncta Thalia Ioui.
Nec tu, NEVSTETTERE, *scio maiora negabis*
Omnibus hæc aliys munera muneribus.
Dixerit hoc aliquis, cogendis nocte dieque
Qui nescit finem ponere diuitijs.
Quem malus ardor habet præsentibus addere semper
Plura, & quærendo conterere æra diem.
Qui fragili potis est vitam concredere ligno,
Temnere & ignoti incerta pericla maris:
Vt gemma bibat, & peregrino dormiat ostro;
Barbaricusq; caua pendeat aure lapis.
Dixerit hoc aliquis, patrijs qui nomina fastis
Inserere in votis ambitiosus habet.
Empto qui sellæ mercatur iura fauore,
In populo primus gaudet & esse suo.
Qui titulos titulis veteres cumulare laborans
Vsque nouis, toto hoc pectore semper agit,
Vestibulum ante ipsum vt numeret longo ordine fasces:
Impleat & vanis atria imaginibus.
Denique de medio hoc vulgo qs dixerit, omnis
Fabrili cuius sudat in arte labor.

Quiq;

Quiq; profana velut Musarum arcentur ab aris
Turba, exesse sacris iussaq; liminibus,
AEre merent, nummoq; operas præstare coacti,
Quodlibet á mane ad vesperam opus faciunt;
Quo sibi sit, natisq; suis cum vxore, magistram
Artium & ingenij, pellere ab ore famem.
Dixerit hoc, inquam, de turba quilibet horum,
Quisquis & huic turbæ non alienus erit.
Non tu, NEVSTETTERE, sacri celeberrime cœtus
Præsul, ab omniuola liber auaritia.
Diuitias qui ita habes, vt non habearis ab illis,
Dines sisq; magis, quam videare tibi.
Patritis opibus ferè in hoc & qui vtere auitis,
Seu quas Fors meritis adiecit æqua tuis,
Vt ne egeant, dulces quis sunt ante omnia Musæ,
Aut Clario esuriant pectora sacra Deo.
Non tu, quem ambitio leuis, & sitis acris honorum
Vanis non torquent sollicitudinibus.
Nec potuêre mali speciosi auertere nubes
Tramite, Iustitiæ quá Cynosura vocat.
Qui contemnendo, quæ alij mirantur & optant,
Esse animo ostendis cuncta minora tuo.
Et clauum, titulos, fasces, sellamq; curulem,
Non decora, at, quod sunt, nomen inane putas.
Non tu qui reliquis valefactis artibus, vno,
Musarum in studio nocte dieq; habitas.
A tergo longè & vili qui plebe relicta,
Hæc, vt te dignum est, numina sola colis.
Qui famam ipse tuam certas extendere scriptis,
Quis Latij cedat pagina Callimachi,
Molirisq; nouum Vatum de gente triumphum,
Siue tui POSTHI carmine, siue tuo,

Non tu, in quem puerum sua congessêre frequentes
Munera quique nota de meliore Dei.
Aonio Musæ quem lactauêre sub antro,
Penderuntque suis tantulum ab vberibus.
Quem felice bonus respexit ab arbore Phoebus,
Et citharæ docuit fila mouere suæ.
Secta cui Veneris mores finxêre, decorum
Et ridere cui, ac dulce dedêre loqui.
Vestiuit frontem cui maiestate verenda,
Et soror & magni maxima nupta Iouis.
Luminibus cuius lætos afflauit honores
Nullo nota Deis Cypria adulterio.
Cui Dea Fors aurumque, & opes donauit abundè,
Præbuit vtraque & plurima dona manu.
Fors Dea, cœca aliàs, & lumine cætera vtroque
Capta, sed hîc quauis lyncea lynce magis.
Non tu NEVSTETTERE, *inquam, tot dotibus auctus,*
Quæ solo viuunt nomine perpetuum,
Nomen perpetuum, & victurum laude perenni
Omnium in ore auis innumerabilibus,
Præmia parua, tuis meritisq; indigna putabis,
Aut spernes, hominem quæ facit vna Deum
Fama ex mortali immortalem: amentia mentem
Hæc eius teneat quisque mihi hostis erit.
Sed nec spernis; enim didici Vate indice nuper
POSTHIO, *vt hæc voti cura sit vna tui;*
Nota sit vt seris tua fama nepotibus olim,
Et celebrent nomen postera secla tuum.
Quin etiam ipse facis noua carmina, & insuper omnes
Carminis autores numinis instar amas.
In reliquis q; vnum, vt reliquos supereminet vnus
Carmine seu melico, gramine seu medico,

Ipsum

Ipsum hunc Posthiaden merito veneraris honore,
Usq; domi & tecum quod pote, semper habes.
Posthiaden, latè insolito qui his extulit oris
Flagrantem Aonij fulminis igne facem.
Posthiaden, famam, dare quæ sit idonea vitam,
Ipsa etiam à sera qui dare morte potest.
Qui vulgo hūc vulgās (quod spero) bono omine librum,
Multa tuum cuius pagina nomen habet;
Ante alia, in primisq; vnum hoc spectauit in illo,
Crescere vt scriptis laus tua, ERASME, suis.
Non, quo more solent vani dictare Poëtæ,
Laudato, & Domino præmoritura suo:
Sed quo more magis Pelignis natus aquosis,
Tradidit æternis multa voluminibus.
Vel quo Messalam celebrauit more Tibullus,
Memmiadénue suo Caius epistolio.
His tua nominibus miscentem nomina Musam
Iure lubens igitur mutuo amore colis.
Iure foues, inquam, hanc, multo & dignaris honore,
Inq; tui ponis parte patrocinij.
Felices ambo, si quid pia carmina possunt,
Bis, ter felices tuq;, cliensq; tuus.
Dat tibi famam, & non minus accipit ipse vicissim,
Ornantq; vtrumuis alterutrius opes.
Macte pari antiquo par quolibet aut prius, aut par,
Non meliore aliud venit in astra via.

Alchymia. Elegia XXI.

Rustica erat, res arcta domi quam ferre per vrbem,
Cui sibi vicinam struxerat illa casam;
Venale haud tacita niueum lac voce iubebat;
Sed quæ animo magnas sæpè agitaret opes:

Cuius more suo dum fert sinum; inter eundum
Hæc cum mente iniyt sic reputare sua:
Scilicet, hoc, quod onus pressо gero vertice, nummos
Conficiet, ducta mî ratione, duos.
His quid agam? certum est recte illos ponere, ponam
Recte autem, hoc bis sex si pretio oua parem.
Hæc quippe oua mihi bis sex mox ordine pullos,
Commoda diy magni quanta datura, dabunt.
Exacti mihi dum exiguo exin tempore præstant,
Regales capita in terna, quaterna, decem.
Quos ego regales melius qui posse locare
Sperem, quam hoc porcos si redimam ære duos.
Porcos, qui sexus diuersi mox mihi bis sex
Rursus porcellos, altera lucra, ferent.
Pro quibus vt scutata decem numerauerit emtor;
Iam me, iam pago iudice, diues ero.
Stat tamen hoc fine haud consistere; tendere certum est
Vltra; & fortunæ nullibi abesse meæ.
Hispani sed equam mihi sanguinis inde parare,
Quæ paruo, pulli tempore, mater erit.
Pulli, cuius mox persultans vngula campum,
Indicium cursus nulla datura sui est.
Pulli, stare loco qui nescius, vt pede terram,
Hinnitu quatiet cælica regna suo.
Dixit: dumque suo tota in pullo, illius hinnitum
Exprimit, olligerum forte rotata caput,
Lacque, vnaque omnem spem proiycit inscia; mærens
Et redit exiguæ ad iuncea tecta casæ.
Quid rides magni sectator vane laboris,
Docti promittis cui Solomonis opes?
De te narratur mutato fabula sexu;
Conueniens studiys qua mage nulla tuis.

Omnia

Omnia qui faciens, fumo induratus, & igni,
Inter fornaces te, miser, ipse coquis.
Dumq́ inflas; stillas; distillas; moxq́ lutando,
Nunc tibi Vulcani, nunc figuli arte places:
In numero vt natæ numereris rure puellæ,
Spes cum lacte suas cui misera hausit humus;
Tantum opus est rima tantilla in alembico, vt omnes
Spesq́ tuæ, & frustra tot tibi vota cadant.

Ad IOANNEM POSTHIVM Archiatrum Wirzeburgicum.

Elegia XXII.

Promitto; noli tunicam mihi scindere, POSTHI,
Cras conuiua tibi, seu magis hospes ero.
Tu modo cum cura hoc, POSTHI, *curare memento,*
Conueniens verbis sit tua cœna tuis.
In qua non talis iaciantur regna; bibendi
Arbiter at mage sit quilibet ipse sibi.
Non nos, sancte, tuo sub ductu, Bacche, meremus:
Militat Aonia noster in arte labor.
Hinc nos pocla iuuant Graiûm rorantia; mentis
Imos quæ incendant igne suo igniculos.
Centauri Herculeum educant cratera bimembres;
Et Lapithis quisquis non alienus erit.
Quorum nil aliud quam sunt conuiuia, pugnæ;
Sermones, rixæ; scommata amara, sales.
Nobis mensâ placet Musæi conscia semper
Nectaris; ambrosiæ &, Calliopæa, tuæ.
Nemo vbi sit qui dicta foras eliminet; aut qui
Cuiusquam absentis rodere nomen amet.
Risus vbi, grata mistus grauitate, serenet,
Curarum quidquid cordis in æde latet.

Soleturque domi priuatim si qua, foriſue
Publicus inflixit, triſtia damna, dolor.
A qua ſurgentes membra omnes omnia ſani,
Sint memores ſero ſole redire domum.
Qualis ſi cunctos mortales coena iuuaret,
Vt poſito nollent peruigilare mero;
Non tot paſsim homines podagra, chiragraq́, laborent;
Et careant vſu corporis ante diem.
Quanquam ô, de ſe horum quiſque ipſius viderit; vnis
Dum per eos nobis ſit meliora ſequi.
Eſt aliquid parte hac, POSTHI, hoc vitæ in labyrintho,
Expertem erroris currere poſſe viam.

FRAN.

FRAN. MODII BRVG. FVNERA.

Ad Ampliſsimos viros NITTHARDVM à THVNGHEN &c. & ERASMVM NEVSTETTERVM cognomento STVRMERVM &c. de morte ADOLPHI HERMANNI RIEDESELII ab Ayſenbach, Archimareſchalci Haſsiæ &c.

I.

Si fas ſacra foret violari fletibus ora;
Nunc certe veſtrum fleret vterque diu:
Quamlibet inuicti aduerſis contendere, & aqua
Adſueti, quæ fert fors, mala mente pati,
Haſsiacæ decus ô gentis, NITTHARDE, decúſque
O gentis verum & Francia, ERASME, tua,
Dilecti vobis in funere ſemper ADOLPHI,
Quanto non alius diligi amore poteſt.
Stirpe RIDESELIA qui natus, ab alite montes
Qua procul haud Fulda nominis omen habent.
Dum vixit, nulli vixit virtute ſecundus;
Militiæque armis cernere, pace domi.
Conſilio bonus, ingenio non tardus, habenas
Qui dare, & indomito adducere ſciret equo.
Principibus quis ille viris gratiſsimus vſque,
Inque pari ſummis ſemper honore fuit.
Sed nec principibus, quam vulgo gratior ipſi;
Cui carus pariter que & venerandus erat:

Carus munifica dextra; venerabilis arte,
Plectendi ex noxæ conditione reos.
Cætera perfacilis subiectis; comis amicis;
Nulli non homini ferre paratus opem.
Præcipuè ter tres decima cum Pallade Diuæ,
Phoebus Apollo & quîs non alienus erat.
Præcipuè dico his (fere enim rerum omnium egeni,
Et solo dites carmine turba sumus,
Tantillo quotquot fontem depleuimus haustu
Castalium, & bifidi pressimus arua iugi)
Portus Adolphus erat semper certissimus; vt iam
Teutonico haud alius notior orbe foret.
Nomine & hoc semperviuet sub pectore eorum,
In quos Mors solos nil fera iuris habet.
Scilicet hospitibus vos hæc dare munera, Musæ,
Parua quidem, sed non parua adeo illa tamen.
Ante aurum vt non sint sapienti cuilibet, auro
Aut si cuiquam aliquid gratius esse potest.
Tempus edax ferri, & consumens saxa vetustas
Cuncta ferunt nutu cætera aguntque suo:
Carmina sola teri, aut consumi nescia viuent,
Quæque canunt secum nomina ad astra ferent;
Ipsa polum astra suum dum distinguentia tellus
Cernet consuetas ire, redire vias.
Non nihil ergo bonis semper voluisse Camoenis,
Aoniasque sibi est demeruisse deas.
Teste vel Hermanno hoc nostro, fama vsque superstes
Penna solui olim quem metuente vehet;
Non patiens tacito RIDESELI *vt aranea telam,*
Aut imperfectum in nomine texat opus.
Dignum laude viri munus: digniſsimum amico,
(In rectam incipiam vt velle redire viam)

Seu THVNGENE *tuo, cui præter vincula* ADOLPHVS
Suauis amicitiæ, & sanguine iunctus erat.
Siue tuo, STVRMERE, *nouem idem cui prope lustris*
Iure sodalitio cognitus vsque fuit.
Cætera longa dies aufert: res sola perennat,
Aonium in vita non latuisse chorum.

De eadem eiusdem RIEDESELII morte. II.

Vóta suorum etiam ex summo nunc audit olympo,
Datque pias pondus Christus habere preces.
Nata erat Hermanno, spes & solatia stirpis
Vnica, non alia digna puella domo.
Alterum ab vndecimo quæ cum venisset ad annum,
Morborum ingrueret visque inimica patri:
His illum natam complexum vocibus aiunt,
In sua vota almum sollicitasse deum:
Summe pater, metas finem qui cuique dedisti,
Distribuens æqua debita pensa manu:
Non ego florenti peto me dignere senecta,
Ante mea vt ludat paruulus ora nepos.
Voti summa mei est, thalamo hanc sociare iugali,
Atque viro ante illum posse locare diem;
Quem mihi morborum vis hæc inopina minatur,
Tollere quos medicæ non potuere manus.
Est aliquid, mortem ante supremaq́, funera, habere,
Dicere cui lingua deficiente potes;
Quam tibi coniunxi natam pietate paterna
Prosequere, & curas disce subire meas.
Coniugis officium & cum expleueris, adiyce nostrum;
Iungar vt Elysiis latior vmbra choris.
Hæc da posse mihi morienti dicere lingua,
Christe deus; vitæ & quod spatium omne meæ

Adiycies

Adiycies, tibi, ſumme ſator, tibi ſeruiet vni,
Moxq́ vltro dicam, mortua vita, vale.
Dixerat Hermannus. verbis Deus annuit; & iam
Illius affecto ex corpore languor abit.
Pro valido gratas grates vicinia cantat,
Suſpenditq́ ſacris debita vota tholis.
Ipſe etiam ante alios, ſano quod corpore viuat,
Se memor æterni munus habere Dei;
Et cithara celebrat bonitatem, & voce tonantis;
Hoc vnum luce, hoc tempore noctis agit.
Cum tamen interea natæ non inmemor; illam
Legitimo maturam vt videt eſſe thoro:
Non vltra ſibi iam ceſſandum credidit; optans
Quam primum ex voto hæc linquere ſæcla ſuo.
Ergo igitur iungit Francæ telluris alumno;
Cui ductum à longa nobilitate genus,
Quod tamen, ingentes vt opes,, virtutibus ille
Anteiret, priſca gnarus amare fide:
Huic inquam tali iungit, ſua gaudia, natam;
Coniuge ſe digno vt nuberet illa viro.
Quorum vt mox primum celebrata Hymeneia vidit
Feſta, redit per quam venerat ante viam.
Arcem in valle ſuo poſuit qua nomine dictam,
Quam videas, iures principis eſſe domum.
Compoſitisq́ hic dein rebus; quo optauerat olim
Extremum claudit fine, modoq́ diem.
Felix quem tanto Chriſtus dignatus amore eſt,
Et quiſquis ſimili ſorte beatus erit

De eadem. III.

Combibe, ſi lacrimis hominum poſt fata ſepulti
Tanguntur, lacrimas terra ſacrata meas.

Hoſq́

Hosq́ modos querulos Hermanni perfer ad aures,
Quacunq́ ille poli parte beatus agit:
Inclyte nobilitate, magis tamen inclyte vera
Virtute, & prisco par pietate Numa;
Quis Deus eripuit nobis te tempore in ipso,
Omnia adhuc festa quo loca voce sonant;
Et plausum reboant laqueata, auratáq́ tecta,
Gratatur natæ ac Francia tota tuæ.
Aduentu quod eam, digno sociandа marito,
Tandem aliquando dignata beare suo est?
Quis te inquam nobis hoc ipso in tempore ademtum,
Elysium diuus insit adire nemus?
Nescius ast ego fatorum, sortisq́ futuræ;
Et voti inmodicus, talia dicta dabam:
Stirpe Rideselia sate Adolph-Hermanne, vetustum
Qui superas animi nobilitate genus:
Hoc Deus ille velit, supra nos, tempora, curans,
Cumæa vt vegeto corpore vatis agas.
Est tibi, sitq́ precor, iam plenis nubilis annis
Quæ nunc cum primis filia patris eget.
Ex hac dum longo videas ex ordine natos
Natorum, & stirpis tertia sæcla tuæ,
Et viduus senij, & longi ditissimus ævi
Viue, per ætates tres quoq́ vt vnus eas.
His, inquam, surdas pulsabam numinis aures,
Credens vatum aliquod pondus habere preces.
Indigni misero cum nuncia littera morbi,
Moxq́ etiam mortis reddita, Adolphe, tuæ est.
Quid facerem? inmitemne Deum, atq́ inmitius illo
Fatum, & tergeminæ iura seuera deæ,
Incusem? an potius lacrimas in funere fundam,
Et querar, exemplo hoc, optima quæque rapi?

Quod

Quod potius, lacrimis turgentia lumina feci,
Et, quod de priscis nunc quoq; durat auis;
Qualiacumq; mihi solatia, inane sepulchrum,
Constitui in solis, sæpe futura, locis.
Et te suprema ter voce, Hermanne, vocaui;
Et cineres dixi ne premat vrna tuos,
Magne Rideseli, nulli grauis ipse fuisti;
Dum fuit ætherea fas tibi luce frui.
Dixi; cum lacrimis per moesta cadentibus ora,
Impedior, cupiens addere plura, loqui.
Vix tandem expellens malè singultantia verba,
Incoeptos gemitu sepe morante sonos;
Adieci; cœli quo me sub cumque locabunt
Axe, parum votis fata secunda meis;
Quod pote, honoratã hãc lucẽ tibi, Adolphe, quotannis
In medijs etiam semper habebo Getis.
Exemtum terris, quæ te transmisit Olympo;
Iunxit & ordinibus ter tua vota tribus.
Nec solus peragam officium hoc quodcunq; doloris
In partem veniet Phœbus & ipse mei.
Cum Phœboq; chorus Musarũ, & Musica quotquot
Sacra ferunt, Clario pectora fœta Deo.
POSTHIVS *ante alios, longo tibi cognitus vsu,*
Mutuus inter nos quo duce creuit amor.
Et cui mella fluunt culto mera ab ore MELISSVS;
Quo melior nemo voce animare chelym.
PETREIVSQVE *tibi viuo olim deditus vni,*
Vt Mœnum ad laudes cogeret ire tuas
Omnes hi mecum, dico, te, Hermanne, quotannis
In fluuij flebunt margine quisq; sui.
Et dignam scalpent cœlesti ciue querelam,
Quod melior placuit tam cito vita tibi.

Mox-

Moxquè aliò, iusta postquam ratione putarint
Rem, versi, supra, quæ colis, astra ferent,
Prudenterq; etiam hoc dicent fecisse, quod auo
Vrgente, optaris sic potuisse mori:
Mentis adhuc pollens affecto in corpore, postquam
Ex desiderio nata locata tuo est.
Est satias vitæ quædam; quam abrumpere ferro
Vt scelus est; fato linquere posse iuuat.
Huc adde & sæclum & fallentes horrea messes,
Monstraq; non alio tempore visa prius.
Ciuilesq; manus, fraternaq; bella, pphanis
Sidera iam tollens & violata malis.
Adde huc condentem iugulo sua tela paterno,
Atque; indignantem dissimulare nefas.
Adde patris rorans natorum sanguine ferrum;
Laudante inspectas vulneris hoste vias.
Quaque alia & refugit meminisse, & dicere versu
Mentis fida horret Musa ministra meæ.
Omnia quæ faciunt mecum vt deuota quieti, &
Pacis amans, cupiat, sit modo posse, mori,
Musica turba; tuis & fata simillima fatis;
Quam vitam, haud vitam in hoc trahere orbe diu.
Nescio quis Deus at votis sua numina nostris
Opponens; ventis irrita ferre iubet.
Duremus nos ergo, viri, ad quacumque ferendum;
Quidquid erit, leuius, dum bene fertur, erit.
Numquam non memores, nos esse in tempora natos,
Quis firmare animum fas sibi quemque suum est,
Doctrina è medijs Sophiæ penetralibus hausta:
Qua, nihil, instructi, quod vereantur, habent.
Iamq; adeo hic rursum Rideseli ad sacra reuersi,
Ossaq; rite suo contumulata solo;

Dicite

Dicite mecum omnes; decus olim Hermanne Camœnis;
Quidquid erit nobis; SIT TIBI TERRA LEVIS.

Vxor defuncti loquitur. IV.

Quid nimium viuax tanto superesse dolori
Cogor, habent finem gaudia nostra suum.
Inmites, nimiumque ignaræ parcere Parcæ,
Quid prohibet domini me quoq; more mori?
Vno Amor vtrumq; hunc animum traiecerat ictu;
Vnum in vtroq; etiam pectore vulnus erat.
Ictu cur quoq; non ergo moriamur eodem?
Hà semper votis fata aliena meis!
In saxum potuit conuerti Amphionis vxor;
Plorat adhuc vteri & sic quoq; damna sui.
Hoc etiam saltem cur non Fortuna dolori,
Et nostris voluit dura licere malis?
Illi, me miseram, possem gratum esse sepulchrum,
A quo me nec Mors diuidere ipsa potest.

Sub eiusdem persona. V.

O nostræ quondam requies gratissima vitæ,
Nunc dolor in lacrimas ingeniose meas;
Cur sine me crudelis, & inmitissime coniunx,
Me sine, crudelis, cur loca sola petis?
Qualemcunq; tamen lacrimis mactum esse meis te
Euulsis mactum his te iubeo esse comis.
Atque vtinam faceret, tantillo vt tempore posses
Sedibus Elysys huc remeare, Deus.
Non iterum, mea lux, Mors nos diuelleret; irem,
Irem vna ad sedes viua etiam Elysias.
Sed vetat hoc Styx atra, vetant fata improba, nec te
Nauta suas patitur posse redire vias.
Frustra & amor nostri qui te est per cuncta secutus,

Vsq;

Vſq; atque vſque iubet te memorem eſſe mei.
Scilicet inuadent te longa obliuia noſtri,
Lethæis ſimul vt tinxeris ora vadis.
Verum, ô Dij! ſenſus hebetant cur flumina, amor ſi
Non vllum verus debet habere modum?

Reſpondet vmbra RIEDESELII. VI.

Parce meam, coniunx, querulis turbare quietem
Vocibus, & madidas deſine habere genas.
Vixi, dum potui tecum, data fata ſecutus.
Nec mihi, dum vixi, carior vlla fuit.
Sed neq; poſt mortem veſtri me cura reliquit;
Semper in hoc viues pectore, pone metum.
Cætera cuncta ferunt poſt funera pocula Lethes,
Vndis ex animo poſſe abolere ſuis:
Vnos de cunctis mihi deme Cupidinis ignes;
Quidquid & ad Veneris dulcia furta facit.
Hæc, vt teſtis ego, qui non labra flumine tinxi hoc;
Lethæis merſi tota ſed vſque vadis;
Non vllæ eripiunt cuiuſuis fluminis vndæ;
Verus amor nullum nouit habere modum.

Ecloga de eadem RIEDESELII morte. VII.

Daphnis obit; Daphnim mecum lugete Camœnæ.
Vosque, ſacri colles, ſacriſq; in collibus antra,
Antra ſpecuſq;, ſuis vbi Daphnis iura ſolebat
Dicere, & ambiguas hominum diſcernere lites:
Paſtorumq; iras ſtudio placare paterno:
Illorum anteputans inmenſis commoda curis
Sæpe ſuis, ſpriv & non raro prodigus, olim
Læſa coiret vti numeratis gratia nummis.

Daphnis obiit, Daphnim mecum lugete Camœnæ.
Vosq; sacræ fagi, quarum sub tegmine Daphnis
Qua pecudes regerent Pastores lege docebat,
Denia vtissimæ melius per lustra capellæ,
Vt melius pratis errent in mollibus agnæ.
Vt dubitanda fides veris cum grandine nimbos
Sæpe ferat, tremulos rapiens torrentibus hœdos,
Despicit æquali cum Phœbus limite terras,
Cœlum, Sole nouo, vultu mentita serenum.
Daphnis obiit, Daphnim mecum lugete Camœnæ.
Vosq; sacri fontes, vmbris inducere Daphnis
Quos solet, & quorum sæpe ille in margine, Phœbi
Dum vitat radios, temerè proiectu, alumnos
Et saturos vernas magnum illum Pana monebat
Solum mirari, venerari ante omnia solum:
Fœcundi auctorem pecoris, cui lata benignus
Pabula sufficiat non deficientia, quantum at
Luce greges carpunt, tantum sub nocte reponens.
Daphnis obiit, Daphnim mecum lugete Camœnæ.
Daphnis erat nostri montis decus, occidit vna
In Daphni & Pietas, æqui & reuerentia, & omne
Fas, posthac abigent laxis, velut ante solebant,
Iumenta è stabulis, siluisue impune, capistris
Prædones. bonus ille bonis arcere alienis
Quos sueuit, dum nunc mulcendo temperat istam
Illorum orè famem placidis sermonibus, & nunc
Obiecta placat monstra hæc, vt Cerberea, offa.
Daphnis obiit; Daphnim mecum lugete Camœnæ.
Daphnis erat latè pastorum gloria, Daphnis
Parthenopes stabula, & Mantoi pascua ruris,
Ingenio, & calamis cœlo quæ Tityrus æquat,
Lustrarat, nec Sequanici non gnarus ouilis,

Cuncta

Cuncta reposta imo, & memori sub corde tenebat,
Quæ pecoris decet & fas est nouisse magistrum.
Forfice ouis læsa, dum fors velamina ponit,
Vulnera qua sananda manu; ne pustula virus
Occulat, & rodat sanies rubigine corpus.
Qualiter exarmanda suo nocitura veneno
Serpens; obtuso vt confestim marceat ore.
Nigræ terga, alba vt nascatur filia matri:
Nigro terga, alba vt nascatur filia patri.
Daphnis obIt; Daphnim mecum lugete Camoenæ.
Non alius melius quam Daphnis, montibus istis
Pana deum norat votis arcessere nostris.
Respexit semper nos nostraque Pan, prece Daphnis
Supplicioque humili inductus, pellere longè
Liminibus nostris quæcumque nocere valebant.
Nec lupus, interea dum vixit, ouilia circum
Errando, insidias dedit; aut irrumpere septis
Ausus; tanto Pan Daphnim dignatus honore est.
Daphnis obIt; Daphnim mecum lugete Camoenæ.
Et vos parcite, oues, concidere gramina morsu,
Trinis, quis Daphnim ploramus iure, diebus.
Parcite fonte sitim releuare; atque vbera siccæ
Ingratum querulis balatibus aera, & aures
Cædite diuorum, morientem cernere Daphnim
Lenti de cælo qui sustinuere, nec illi
Protinus auxilium properarunt: edite vaccæ
Indicium vestri, mugitus edite, luctus.
Daphnis obIt, Daphnim mecum lugete Camoenæ.
Et vos, quæ patulis Solem defenditis vmbris,
Siluæ, concussis Daphni date sibila ramis.
Commoto Daphnim resonate cacumine; Daphnim
Esculus, & platani, quercetaque dura loquantur.

Daphnim Cupreſſi; Daphnim celebrate Geniſtæ,
Ramis quæque ſuis, dignus bonus omnia ab omni
Arbore, & officij hoc Daphnis denatus habere.
Daphnis obIt; Daphnim mecum lugete Camoenæ.
Et vos ſaxorum prærupta in montibus iſtis,
Diuerſa à vobis diſcedite, & acta fragore
Horriſono in præceps; Daphniſque ad ſidera nomen
Tollite, vobiſcum & Daphnis ſub Tartara nomen
Deferte; vt magno Daphnim loca cuncta vlulatu, &
Ore ſonent; omni meruit velut ore ſonari.
Daphnis obIt; Daphnim mecum lugete Camoenæ;
Haſque locis mecum ſolis iterate querelas.
Digne quidem cælo, ſedes vbi fata beatis
Prouida poſt obitus animis poſuere quietas,
Daphni ſenex; ſed adhuc ſeptis magis vtilis iſtis,
Cura quæ patria, & patria pietate regebas;
Quam ſubito vt captas deberes linquere terras
Vſque adeo; cur nos moriens, pater optime, ſolos
Tam tibi dilectos quondam, & rerum omnium egenos
Deſeris, ignaroſque? an non vicinia tota
Te ſolum, & tua, ſancte parens, audire ſolebat
Conſulta; vnum te venerari vt Panis amicum,
Semideum vtq; plagis miſſum cæleſtibus? eheù,
Quid tantum terræ, & nobis te commodat ille?
Cur vt noſter eras, noſter non diceris? hà Mors
Inuida; quid noſtro gaudes maleſana dolore?
Sed bene, quod nihil improba agis; victoria perdat
Quod tua te; Daphnis, quem tu ſcelerata, volebas
Exſtinctum, & vanas vmbram deſcendere ad vmbras;
Nunc vita fruitur meliore; & monte Lycæo,
Arcadicis Pani modulatur iubila cannis.
Et fruitur ſiluis, ramorum perpete honore

Qui

Quæ gaudent, triſtiſque ignorant fata ſenectæ.
Hicque illum coram Paſtorem cernit, & audit;
Prodigus ipſe ſui qui ſanguinis, eripere atris
Faucibus vt poſſet vetulorum ſepta luporum,
Vltro ſe certi in leti crudele (ſequeſtri
Noſtra ſuo vt lueret tergo mala, & impia facta)
Supplicium obtulit, & propria nos morte redemit.

Adhuc de eadem RIEDESELII morte. VIII.

Rufinæ HERMANNI ſobolis diæ RIDESELI
Lentus adhuc meditans ignemque, vndamque iugalem
Vertere ceratas ad triſtia funera tædas,
Subtractamque facem, patrijs ſupponere buſtis
Auerſus cogor, thalamo natæ, &, dolor eheu,
In triſtes feſcenninos mutare querelas.
Scilicet, hæc vitæ eſt noſtræ inconſtantia, tunc cum
Rere minus, præter ſpem ſors ſubito altera præſto eſt:
Quare agite Haſsiacæ, Francæque propaginis armis
Heroes, ceu pace boni, voſque heroinæ
Haſsiacæ, Francæque, decus Germanidos oræ;
Laude pudicitiæ, & raro virtutis amore:
Vna quæ feſti nuper celebraſtis ouantes
Gaudia, quo Haſsiaca eſt Franco Rufina marito
Coniuncta. in lacrimas hilares conuertite riſus,
In queruloſque modos, voceſque iocoſq; licentes;
Et mutate citi veſtem lugubribus auream.
Si natæ officium gratum præſtare decebat,
Et patri officium ingratum præſtare decebit.
Nec longo quiſquam, veſtro, iam tempore, in orbe,
Ad plures fleri, & lugeri dignior, iuit.
Nam Muſas teneris etiam veneratus in annis,
Linguæ etſi patruæ iuſſa imperioſa ſecutus,

Pro libris, clypeum; calamis, tractauerit enses
Pene puer, ductor turmæ vigesimus iret
Cum neque dum annus ei vitæ; cum Marte Camoenas,
Quod posset, iunxit tamen vsque, & temporis illud,
Quod dabat hic pictis chartis, dabat ille fritillo,
Hoc gnauus tribuit varijs scriptoribus omne:
Seu qui gesta suis veterum mandare libellis,
Seu mage curassent voluentis temporis annos.
Vnde etiam exemplis instructus ad omne periclum
Semper erat vitandum; & ad hoc non inscius artium,
Hostes quis cingi, vt concluſi indagine cerui,
Quisue capi ante dolis possent: depressa tenebant
Hi loca, si prope erat collis, succedere colli
Callebat: tumulos hostes, montesque tenebant,
Tentabat si qua includi ratione valerent.
Quo minus est etiam mirabile, sapè iuuentæ
A Etatis primos tangentem vix etiam annos,
Multorum haud tardæ si præposuere senectæ
Reges, quem canam iuuenili in pectore mentem,
Iudicium que annis grauius gestare videbant.
Bellica sed mitto studia hæc, maturior annis
Quæ tamen vsque noua cum laude subinde colebat.
Bellica quippe aliquid semper cum milite, semper
Cum fortuna aliquid communicat alea laudis.
Illa canam potius RIDESELI *propria nemo*
Quæ neget, & quorum partem sibi iure Tribunus,
Deuotæ partem deberi ad bella cohortes
Iure sibi haud clament, quo de genere ista putate.
Religionis amor, studium pietatis in omnes:
Non simulata fides: æquas ius dicere lance,
Nec, qui mos hodie est, diti postponere egenum.
Erigere afflictos, digne tractare superbos:

Perfu-

Perfugium miseris esse omnibus vndique quot sunt.
Passim despretas hac tempestate Camoenas
Solari, hortari in dias luminis oras
Et tenebris, squallore, situ, atque e puluere rursus
Desuetum proferre caput; tecta hospita Musis
Pandere, easque inopes opibus, nudasque iuuare.
Omnia quæ primis sic in RIDESELIO *ab annis*
Ad finem vitæ, supremaque fata fuerunt,
Et tanta ac tanto studio vsq; exercita, vt illi
Quos merito Musæ possint componere, paucos
Inueniant: Musæ, quarum ille in carmine viuet,
Ipsæ dum Musæ, Musarum carmina viuent.

De morte ANDREAE PAPII IX.

Naiadas ambrosia vndosis pascebat in antris
Nereidasque, sacra forte die, Oceanus. (rores,
Heic Ephire, heic Opis, heic Clymene, atq; Arethusa so
Heic Xantho, heic Drymo, heic candida Cymodoce,
Heic Beroe, Nesæe, Spio, Phyllodoceque
Denique erat flaua heic Deiopeia coma.
Quas inter Thetidos Triton cantabat amores,
Qua nulla in regno hoc notior historia.
Et iam desierat, cum Mosæ dia propago,
Tellurem alterno sueta ferire pede;
Legia turrigero qua pulsat vertice olympum,
Sideraque ornatum tollit ad alta caput:
Pace tua, Triton, quod sit, prope regna parentis,
Qui, quam tu, cantet dulcius, alter habet.
Hà quotiens illo dociles inflante cicutas,
Oblitæ cursus obstupuistis aquæ!
Cantantis quotiens suspensa ab arundine, sera
Vix quamuis memini nocte redire domum:

Vera equidem vobis, genitor longæue, fatebor:
Iungere connubio hunc mens mihi sæpe fuit.
Dixerat: excipiunt contra Scarpi inclyta proles;
At non tam lentæ nostræ in amore manus.
Ipsi par vultu quidam ac testudine Phœbo,
Assidue ad nostras ludere amabat aquas:
Nec mora, complacitum vitrei sub cærula patris
Iniecta leuiter traximus antra manu.
Vtimini exemplo; hic genitor quod & ipse probauit,
Formosum Ascaniæ cum rapuistis Hylam.
Applausere omnes dictis. disceditur, & iam
Mosiades patrijs oscula dant manibus;
Inde dolum insidiasque struunt; si forte veniret
Mulcere assuetis aera carminibus,
PAPIVS, *Argolicamque chelym tractare peritus,*
Et bonus Ausonium diuidere ore melos.
Sed nihil insidijs opus est, securus amorum
Mosiadum vltro ibat ponere corpus aquis.
Iamque audax fluuij medys innabat in vndis;
Vix oculis Nymphæ hoc credere posse suis.;
Donec circumstant vna omnes vndique, & vnum
Diuæ hominem plures sub sua regna trahunt.
Ibat fundo ille: exululârunt flebile Nymphæ
Siluicolæ, & patrijs carmina corticibus
Inscripsere, sui monumentum insigne doloris:
Et Satyri fractis, triste gemunt, calamis.
Ipsi quin colles vicinaque prata requirunt,
Quondam etiam arboribus verba iterata suis.
Nequiquam at colles, nequiquam prata requirunt,
Et vocem, & notæ dulcia fila lyræ.
Mosiades Diuæ patrio sub gurgite curas
Cessatum ad sacros ducere amant numeros.

Hieronymus Rocq; hemius Duaci in carpo fluuine subnersus, an o clɔ. Iɔ XXVI.

Quam

Quam tibi ne sortem forte inuidisse malignè,
De ambiguis lacrimarum arguar indicijs;
Adducam intempestiuo mage frena dolori;
Et desiderio cominus arma ferens,
Quod me, sancte, tui tenet, aternúmque tenebit,
Compercam fletu te reuocare meo.
Tantum, quo te cumque mihi fas nomine dici,
Plurimus in nostris sis age carminibus.
Teque faue in versus totum mihi, forsitan illos
Exsperiar, quondam quos mihi das calamos.
Verum alias istuc; lacrimis nunc, optime, & istis
Carminibus mactus, PAPI, haue, haue, atque vale.

In obitum & sepulchrum FEDERICI SIMPLICIS, familiaris quondam Amplis. ERASMI NEVSTETTERI. &c. X.

Aurea simplicitas quo tu, FEDERICE, sepulchro
Conditur, & tecum hac mole sepulta iacet.
Crudelem mortem; niueum hoc quæ ladere pectus,
Vnius & potuit perdere cæde duos.
Quin fallor. non te, non illam perdidit, ipsa
Simplicitas causa at cur morerére fuit.
Nam cum personas tot, laruasque inter, in orbe
Non vllum sibi iam cerneret esse locum.
Nec sine te vellet patria ad conuexa reuerti;
Pollutum terræ linquere & hospitium:
Secum vno cæli vexit super alta volatu
Templa, vt te magnum hic sisteret ante deum.
Qui bene decursa tribuens tibi præmia vitæ,
De regnis vnum te iubet esse suis.
Solum ergo hæc, FEDERICE, tuum tenet vrna cadauer;
Hoc quoque dum simili Christus honore beet.

Mens animi fruitur vita meliore, & ERASMO,
Lumine amabilior qui tibi vtroq; fuit,
Pro quondam domino cœlum prece, & astra fatigas,
Cuncta illi ex voto vt tempora semper eant.

Ad ANDREAM ELLINGERVM, filiam efferentem XI.

Vt natæ claudat genitor morientis ocellos,
Soluat & extremo debita iusta rogo:
Est res, vt verum fateor, præposterа, sed quid
Tam mirum tamen hoc cur videatur habet?
Vertuntur sursum prorsum omnia, & ordinis orbem
Expertem in præceps deuius error agit.
Quid quod felices hac tempestate putandi,
Quis nulla, aut certe filia rara domi est?
Tempore, quo belli cunctas circumtonat vrbes
Tertor, vicino & fulmina missa polo.
Vana vtinam nostræ quondam sint omina Musæ,
Venturum ast iam iam hunc auguror esse diem:
Felices cum se ducent sine prole parentes,
Natas gaudentes composuisse suas;
Nitu, summe Deus, minitanten arcere procellam, &
Nostris dignere auertere limitibus;
Omnes humanas dudum consumsimus artes;
Magne pater, solum te vocat iste labor.

Ad eundem. XII.

Filia rapta tibi est, mea quo mihi tempore mater;
Iure igitur nostrum luget vterq; diu.
Nequiquam tamen. en cœlo vox intonat, eia,
Quid fles, stulte; an non stat sua cuiq; dies?
Quanto igitur satius, Phœbi decus inclytum vtraq; in
Arte, Deus qua vult, consulere illa boni?

Serius

Serius, an citius moriaris, nil facit ad rem,
Ad rem, care, bene quam moriare, facit.

De obitu eiusdem ANDREAE ELLINGERI. M.XIII.

Qui vitam proferre alijs medica arte solebat:
Et multos Orci faucibus eripuit;
Inuitas illis inferni nere sorores,
Attonitis, cogens fila secunda, deis.
Hic cubat, haud passus mortis victricia tela,
Cui nulla forsan cederet ille die,
Discessu ex natæ at luctu consumtus acerbo,
Tam vehemens patrio pectore habebat amor.
Absentem quam mors speculata, vt forte profectæ
Cognatas fuerat illa videre suas.
Nunc, nunc, ô famulæ morbis ait, vtere posse
Quæquæ tuo; & natæ dum procul ille suæ est:
Qui nos iamdudum contemnitq; improbus, & se
Postulat infernis scribere iura deis,
Insignemq; sibi de nobis ferre triumphum;
Huius per natæ fata ciete latus.
Dictum, factum: instant miseræ sine more, modoq̄,
Imperio, morbi, deterioris heræ.
Ergo impar pugnare malis, patriæ vsq; puella
In cassum absentis dum vocat artis opem,
Et moritur, morienſque suo, prô fata, parenti
Fit desiderium flebile posse mori.

In obitum IOAN. FICHARDI. I. C. Syndici Francofurtensis ad Mœnum. XIV.

Virtutis, FICHARDE, tuæ mihi trans mare ad aures
Acciderat dudum fama, impleratq; videndi

Te

Te desiderio ingenti, affandiq3, sacerdos
Iustitiæ ô venerande, meis contraria votis
Cum mors florenti dignum gaudere senecta
Perpetuum, humanasq3 vices nescire, piorum
Cœtibus Elysium in campum, transmisit, vt illic
Iudicibus iuncta bis, ius, legesq3, duobus
Defunctis dicas, ergo, quem cernere coram
Tantopere optabam, iubeam saluere necesse est,
Dum veniat mox illa dies, quæme quoq3 vitæ
Curricula emensum ancipitis prærupta, quietis
Addat. quod quoniam citius spe forsitan instat,
Paruo care Deo salue mihi tempore, iam te,
Aut certe mox, vt volui, FICHARDE *videbo.*

In eundem. XV.

Audio, & est, vt ais; morietur quidquid vbiq3
Est hominum; hac nati conditione sumus. (dum
Non tamen hinc sequitur FICHARDI *in morte dolen-*
Esse minus; nostro hæc quod data lex generi est.
Vulgari valeat medicina in funere talis;
Hæc mors eximium hoc cur doleamus habet;
Quod cum FICHARDO *terras Astræa reliquit,*
Quo viuente iterum illa ante colebat humum.

Epitaphium AENEAE MARIVORDAE, cognati sui, militiæ mortui, XVI.

Dardanio haud ipsi dextra, aut pietate secundus
Aeneæ; AENEAS hic MARIVORDA iacet.
De quo, ne mirere hospes fors; scire necesse est,
Fortes morte emere, vt degeneres fugiant.

In mortem GEMMAE FRISII, M. nobilis. XVII.

Cui

Cui nũc posse mori mirum sine nomine vulgus,
Ipsi cum morborum artifices pereant.
Artifices, sed de reliquis nil conqueror, vnus
Hic, intempestas ire cui exsequias
Cogimur, innumeros medijs è faucibus Orci
Qui retrahens, vitæ, iam fugiente anima,
Restituit, reliquis tot corpora conclamata,
Ire domum extinctis qui rediuiua rogis
Iusserit, hunc vnum non hoc potuisse merendo,
Vt paullum vitæ, quod minimum est, spatium
Adiceret, modicosq; illam proferret in annos
Quis non profusis indoleat lacrimis?
Hà GEMMA *infelix! verè Phœbi arte in vtraq;*
GEMMA, *herbis medicis, seu numeris melicis*
Vsus erat. quis te, quis nobis GEMMA *deorum*
Crudelis nimium inuidit, & eripuit?
Agnosco fatum medico commune, periclo
Qui vitæ, vitam reddidit Hyppolito.

In mortem IACOBI RAEVARDI. I.C. BRVG. XVIII.

Sit tibi terra leuis, nulli grauis ipse fuisti
In vita, ô vita & lumine amabilior
Astræa RAEVARDE *sacræ iustissima quondam*
Cura, voluptasq;, at nunc dolor, & lacrimæ.
Non erat in Belgis Iuris prudentior alter,
Pace tua, NANSI, *pace,* MEKERCHE, *tua.*
Non erat & melior, vobis quoq; testibus, illo
Vir quisquam, Flandrum qua patet imperium.
Nil benefacta tamen iuuere, aut gratia linguæ,
Iret vt ad vacuas tardius vmbra domos.
Mors fera, mors crudelis, inexorabilis, vnum hoc

Debue-

Debuerat telis non licuisse tuis.
Namque aliquis cernens iustos melioribus annis
Ante diem stygijs proluere ora vadis,
Cum contemtores diuumque hominumque fruantur
Collectis per fas perque nefas opibus.
Sape diu; dubitet curent mortalia Diui,
An tantum incerta lege feratur opus?
Quisquis eris, dubitare tamen desiste, deumque
Hoc etiam facere haud abs ratione puta.
Prorogat ille malis vitalia stamina, si fors
In rectam occipiant velle redire viam:
Atque eiuratis vitijs, virtutibus illa
Mutare; & recto viuere consilio.
Eripit ille bonos; praua contagia terræ,
Pollutumque iubens deserere hospitium;
Ordinibus potius iuncti vt cælestibus illum
Laudent; quam scelerum semina ab orbe trahant.
Et, post hæc, mutimus adhuc? magis ista putemus;
Nemo, qui bene obit; mortuus ante diem est.

De morte C. V. LVDOVICI CAMERARII ad IOACHIMVM fratrem, nobilem medicum XIX.

Cur, IOACHIME, patris docti, doctissime fili,
Indulgere tuis te iuuat vsque malis?
Non iniusta quidem est, fateor, tibi caussa doloris;
Sed debet fines hic quoque habere suos.
Nec tu, quod dico, potes ignorare; parentis
Pagina quem modice hæc talia ferre docet.
Sed tibi se penitus telum impenetrauit, & alte
Fixum hærens medicæ respuit artis opem;
Quo tibi vita ipsa frater dilectior ictus,

Passus

Passus supremo est debita fata die.
Frater, quem tot erant causſæ tibi perditè amandi,
Vt cogar lacrimis æquior esse tuis.
De quibus vt mittam vulgares, quis magis illo
Laudibus ingenij dignus amore fuit?
Ingenij, quo iudicio faciente subacto,
Par viuens, cunctis artibus, vnus erat.
Præ cunctis tamen vt, cauſſas quæ noſcere rerum
Dat, dignam ſtudio crederet esse ſuo.
Vilia nempe aſpernatur, vulgataque vulgo
Mens, in cuius habet plurimus ade deus;
Doctrinæ, aſsiduè & ſcrutans, melioris amore,
Abdita, quæ tellus, pontus, & æther habent,
Procudit vitam: ac rerum miracula quot ſunt,
Tot grates domino reddit, habetque deo.
In tali vitæ genere, in præſtantibus auſis
Talibus ille tuus deditus vſque fuit,
Quem fles ô Camerariade, iamque omnia norat:
Quid faciat certas Oceanum ire vices,
Abſtruſis tellus venis quæ condita ſeruat,
Quaſque abdit furuo carcere Plutus opes.
Iam quantum terras oculis, peruaſerat aſtra
Mente, ſed humanis qua licet vſque viis:
Cum coram cupiens mundumque atque ipſa tueri
Sidera, & ætherias hoſpes inire domos,
Orauit ſuperos mortem, votoque potitus,
Auget califeri diuus Atlantis onus.
Felix ille quidem, atque adeo non flebilis, vt iam
Gratari mage et ſit, IOACHIME, tuum.
Lampada quod curſu quamuis tibi iunior acto
Tradidit, æquè omnes hoc properamus iter.

De

De morte NICOLAI RVDINGERI. XX.

Sis quicumq; velis, captam qui lumine mortem,
Vsum nullum & ad hoc aurium habere putas;
Te sequor, & tecum facio. nam si foret, vti
Auribus, aut oculis posset vt illa suis;
Compositæ in luctum & vidisset flentis ocellos,
Nata gemens patrios cum stetit ante rogos,
Aut certe audisset moturas saxa querelas,
Verbaq; penè ipsis inuidiosa deis,
Scissa RVDINGERO renouassent stamina Parcæ,
Damnatumq; suum Mors reparasset opus.

De eadem. XXI.

I nunc, & nostri Iuris non esse poëtas
Iacta age, Pierijs turba operata sacris:
Mors ait, & magni decoris per sæcula Musis
Mite RVDINGERI transigit ense latus.
Deficiente cui exultanti talibus ille
Ore refert, quam nil, mors, rationis habes:
Hic iam parta mihi vita est dudum, inuidia in quam
Nil tua, nil Parcæ, nil valet ipsa dies.
Viuere ad hanc aliam & te iam proficiscor ouata,
Auditum quo nec nomen in orbe tuum est.

THEODORVS PVLMANNVS loquitur. XXII.

Hic tumulor, præter libros nullius auarus,
Et veterum priscæ scripta operosa notæ.
Quis ego cura adeo intenta conferre solebam
Cusa noua hæc eadem chalcographa arte fui.
Ne tantilla quidem vt mea fallere lumina posset,
Littera siue foret, siue litura foret.

Qua

Quæ mea non raro à PLANTINO *industria laudem,*
Præmia non raro digna labore tulit.
A PLANTINO, *inquã; quot sunt nunc, principe eo-*
(Liuor iners vitium hoc audiat ipse licet) (rum,
Quîs nitidis labor auctores excudere formis,
Et fugitiua pati cogere scripta diem.
Huic ego Virgily diuinam Æneida bis do:
Bis Venusinæ & ad hoc carmina culta lyræ.
Ter, quater, huic tua scripta nouo, mellite Terenti;
Ausonij doctum huic, huic Iuuenalis opus.
Nam quid te, Persi, quid vos, Lucane, Boëthi,
Quid memorem & scripta, & Cæsaris acta manu?
Deniq; Prudenti quid me narrare necesse est,
Aut asserta opera Claudia scripta mea;
Pluraq;, quæ, veluti Suetonı, indicta relinquens,
Per me vnum prisci signa decoris habent?
Hæc eadem melius venturis fama loquetur;
Me iuuat erroris iam memorem esse mei.
Nam vixisse libros præter nullius auarum
Cum dico, ratio me mea nempe fugit.
Non mihi librorum maior, quam cura parandi
Libris clarorum, quod pote, amoris erat.
Nec malè & hoc cessit; coluiq;, & culta vicissim
A doctis passim est nostra senecta viris.
De quibus olim tu cælo, RAEVARDE, *receptus,*
Cum LEOPOLDO, *& quem Becceselana tuuant:* 1. Io. Goropius Becanus.
Vosq; interuallo hos non magno exinde sequuti
Pœoniæ IVNI, *& Pieriæ artis honos;*
Tuq; tuæ nimium, CANTERE *ô prodige vitæ,*
Dum famæ extendas parta trophæa tuæ.
Et vos, sanctæ animæ, transmissæ has nuper ad oras, 2. Gerartus Falckēburgius.
PAPI, *& falconis nomen ab arce cui est.*

De quibus, inquam, non cultis mihi tempore amicis
Paruo, vos festis plauditis astra choris:
Gratantesq; mihi aduentum, complexibus vsq;
Hæretis: sed vos, dum veni illa dies,
Vos quoq; quæ nobis iungat, data ducitis aui
Nominis ad famam tempora quisq; sui;
Præcipuo, MONTANE, *olim mihi semper honore*
Culte, nec à leto non quoq; amande mihi.
Læuinus Torrētius. *Tuq; tuo,* PRVENI, *cum cui dat nomina torrens*
Ingenium; inq; sacros viuida vena modos.
Et vos, ô LIPSI, BERCHEMI, DVZA, MEKERCHE,
ORTELI, NANSI, SCOTTE, MORETE, PIGHI,
RAPHLENGI, GISELINE, SVSI, CLVSIq;, CRVQVIq;
Pectora non pressa candidiora niue.
Vos, inquam; vosq; ô GOLTZI, LERNVTE, MODIq;,
Et quot præterea mille habuisse iuuat,
Orbis tam nostri, externæ quam gentis amicos,
Quorum PVLMANNI *est semper in ore fides.*
Sitq; precor, fructum vt capiam defunctus amoris,
Quo vobis viuens deditus vsq; fui.

Sub persona ANDREAE PAPII. XXIII.

1 Dionysius Alexandri us de situ rbis à Pa- io versus.
Ciuis Alexandrini, & põtum, & flumina, & vrbes,
Egregia Argolicis qui breuitate canit.
Illius Ausonio geminos sermone libellos
Pæne puer totidem verti ego carminibus.
2. Musæi Hero & Leander ab eodem versi.
Adiecisq; tuos, audax Leandre, natatus;
Sestos Abydenis qua separatur agris.
Cuius ad exemplum dum flumine brachia lasso,
Cur nigra opplerunt ora natantis aqua?
Non ego deuotas ibam temerare puellas,
Castaq; Vestalis lædere iura thori.

Gra

Grate mihi quondam nequiquam, Mosa, meaque
Materies totiens inuidiosa lyra;
Quo scelus hoc ritu, hoc quo crimen more piabis?
Non pater hoc vndis eluat ipse suis,
Qui vos diuersis venientes cursibus omnes
Ignaro recipit crescere posse sinu.
Perfide, quid nostro simulabas carmine lympha
Ire tuas? fraus hæc captio nostra fuit.
Omne tuas mihi ius credebam stultus in vndas,
Conscius hoc cantu promeruisse meo.
Quæ mea nunc benefacta volant ludibria ventis,
Mosa suis dum me barbarus haurit aquis.
Ante tamen cygnus veluti sibi voce parentat,
Et morituro iam dulcius ore canit:
Mellifluas docto modulatus gutture voces;
Texui inauditæ vocis, & artis opus.
Iamq; adeo agminibus iunctus cœlestibus, illis
Ut sociem & linguæ mellea verba meæ,
Par diuis, illum diuûmq; hominumq; parentem,
Pana illum magnum, quo decet ore, cano.

Papij de Musica, se Diatessar libri.

Vmbra PVLMANNI loquitur. XXIV.

Dum vixi, securus opum, securus honorum,
Antiquæ exemplum simplicitatis eram.
Quam facere ad sæclum hoc vltra cum posse viderem
Nil quidquam, & canam nomen inane fidem.
Pertæsus vitæ, vitam, terrasq; relinquo,
Vt vita demum, sed meliore fruar.

De morte GEORGII RATTALLERI, Præsidis Vltraiectini. XXV.

Tequoq; RATTALLERE, igitur parca inuida nobis
Ablatum, Elysium iussit adire nemus?

Há dolor! & quis nunc tragicis sua verba theatris
Sufficiet? finem nempe cothurnus habet.
Inuidiæ fuit illa tua ingens gloria, postquam
Ausonio cœpit tam bene more loqui,
Musa Sophoclai notissima vbiq; laboris,
Ante parum Latijs apta putata modis,
Vt non natiuum deperderet illa leporem,
Perdit sæpe suas vt peregrè arbor opes.
Inuidiæ dico ista fuit tibi gloria; ab illa
Præcipuè postquam iam tibi facta via est,
Ad vatem, vxores, qui tempore dicitur vno,
Femineum exosus sexum, habuisse duas.
Nam muliebre genus Parcæ, muliebria ne tu
In Latium efferres crimina forte diem,
Argolico illa eadem vt descripsit carmine, Graiæ
Qui tragici merito est altera fama chori;
Claudunt, fila tibi studio properata legentes,
Vocis adhuc medium dulce canentis iter.
Ad vada nota canens sic nempe Caystrius ales,
Non exspectato cæsus ab hoste, silet.

FRAN.

FRAN. MODII BRVG. SILVÆ.

Ad Illustrissimum Principem, & Reuerendissimum Dominum, D. IVLIVM, Episcopum HERBIPOLENSEM, FRANCIAE Orientalis Ducem. &c.

I.

TRoiano Troianus erat quã gratus Acesta
Hospes, qui patrios patria ex ardente penates,
Et longa eripuit confectum ætate parentem;
Tam cunctis, decus ô primatum & principum IVLE,
Exspectatus ades. viden' vt templa ipsa, domusq;
Nutent, monte suo & cupiant descendere, dextræ
Oscula prona tuæ vt, Dominum festo are fatentes,
Possint libare; & tua coram augusta tueri
Ora diu desiderio exoptata frequenti
Omnium, in his quot habent sedes regionibus, & quos
Vel fando audiuere tuum, dux inclyte, nomen;
Virtutesque, à tergo annos quîs pone relinquis,
Vt meritis genus & stirpem; celeberrima quamuis
Hæc tibi de prisco Francorum sanguine, longo &
Ordine, per cunctos numeretur nobilis annos?
Sæpe quidem tacitis cupisse hæc tempora votis
Credibile est, Combergi adem; cum tecta ruinam
Putri victa situ, & longa defessa senecta,
Sæpe etiam haud magnus quateret, minitantia, ventus.
Sed quantum, auxily, præsentes noscere vultus
Illo, care, tuos ardebat tempore, opisque
Spe persæpè tuæ; tantum nunc gaudet eosdem

Cernere, & in verna ſua mutata ora iuuenta
Oſtentare illis; cupiens, præceptor amoris
Feminei quod de ſexus quondam arte canebat,
Te ſpectare, tibi ſpectetur vt ipſa viciſſim.
Oppida nam quamuis tibi ſint mage digna videri
Arcesque innumeræ, ſumtuque palatia, & aulæ
Regifico ſtructæ, quis ſe componere nolit;
Poſſe negat tamen hac vnare ſcilicet vmquam
Vinci; perpetuo in teque, & tua commoda amore.
Quo certum eſt illi non ipſis cedere tectis,
Ex quibus HERBIPOLIM *& ſubiectum deſpicis amnē,*
Qui Rheno infundens largis ſua flumina venis,
Auctus eo in Belgas penetrat terrore marino:
Ad caput ille ſuum quamuis quandoque reuerti
Pugnet, amore loci, & pertæſus ſanguinis, vndæ
Sæpe ſuas quo purpureum traxiſſe colorem,
In medijs fleuit terra miſer ignibus illa.
Donec non vltra tantum tolerare dolorem
Sufficiens, lachrimis te ſic affatur obortis:
Magnanime ô princeps, luctus miſerere tuorum:
Ille ego ſum Manus vitreis pellucidus vndis
Sub ditione tua mihi vbique ſimillimus errans;
Ad tua qui ſupplex oratum limina veni
Præſidium; caſu natarum fractus acerbo;
Quas Belgæ, Oceani quaſe coniungere Nymphis
Feſtinant, flammis violant, & cædibus; vt iam
Non ſeſe agnoſcant, non agnoſcantur ab illis.
Quod te, per regnum, noſtris tibi maximum in vndis,
Auxiliatricem per dextram hanc pluribus, oro;
Compone iratos animos; & flecte furentes:
Inque ſuum auctorem redeuntia diſſice tela.
Cuncta potes; tantum ſi poſſe videberis ipſi

Ipſe

Ipse tibi; noui fœcundi pectoris artes.
Nec deerunt; claro de sanguine natus vterq;,
Qui Treuirim imperio regit, aui diues & auri;
Cuique libens florenti annis, doniſque iuuentæ,
Weſtphalus, Angaria, Agrippina Colonia ſeruit.
I modo age, i noſtrum magnum decus; exteri vt iſtam
Cognoſcant canam iuuenili in corpore mentem,
Finierat Mænus; cum tu ſate ſanguine Princeps
Claro ECHTERORVM, *facere omnia certus, vt illi*
Belgarumque malis, magno turbante tumultu,
Quæ ſtudia audieras miſerum in contraria vulgus,
Nobilitatem illis iamdudum & ſcindere in oris,
Si poſſet fieret medicina; Coloniam adiſti.
Sumtu vbi cum magno, ſed enim maiore dolore,
Iras quod nulla ſiſti ratione videres
Poſſe, animosque aliys poſſeſſos artibus, octo,
Quique excurrerunt ſoles, iam menſibus actis
Nequiquam, ſeu ſic Belgarum fata ferebant,
Siue aliud, patriam voti redis irritus vrbem.
Nunc vnde auſpicijs loca per melioribus iſta,
Quod ſperoque, optoque, Auguſtam tendis; vt illic
De ſummis ſtatuas magno cum Cæſare rebus,
Principibusque aliys; quibus eſt data cura tuendi
Romani imperij, & vaſti cuſtodia mundi.
Inter quæ Belgæ (neque enim tibi, maxime Princeps,
Fas odiſſe viros, quamuis meruiſſe videri
Poſsint) ſi quando tibi mentem, animumque ſubibunt,
Et lentæ, vt quondem, illorum dignabere pœnæ
Affectu patrio miſereri; forſitan illud
Auguſtæ efficies, fieri quod poſſe negatum eſt,
Agrippinenſem Rhenus qua præfluit vrbem:
Emedij & Belgas reuocatos faucibus Orci,

Assuetis quondam studijs, vitaque priori
Reddes, afflictum eripiens mœrentibus auum.
Dicere Belgarum nec tu mirabere causſam
Me, qua Sueuus ager Francis distinguitur aruis.
Terra erat hæc vestris olim gratissima alumnis
Pax illam donec frænabat, & auctor Apollo,
Carminis; Aonidesque illis vt plurimum in oris
Ludebant, flauo qua potat flumine gentes
Dilia, & ad sacros gaudent saltare sorores
Naiades numeros; testis me dicere verum,
Istis qui senium tectis detersit ERASMVS;
Musarumque domum, sacri & penetralia Phœbi
Fassus Louanium haud semel; & quid testor ERASMVM
Stultus ego? tute ipse tuæ ô laus maxima gentis,
Belgarumque tuis, illa tellure reuersus,
Vrbes, & studia, ac mores laudare solebas.
Ergo dilectæ quondam reminiscere terræ.
Et non ignotis aude succurrere templis;
Quæ neque dum instantem sensere prophana ruinam.
Plura velim; nam quæ tibi dicam plura supersunt,
Sed te longa viæ merito fastidia fessum
Auertunt alia curanda ad corpora cura.
Vnde ergo incœpi, illic desino. gratulor illum
Ire diem, ô nostris semper memorande Camænis
Princeps, quo dignare istis penetralibus hospes,
Et tibi deuotis semper succedere tectis:
Quæ iam consueto, tanti sibi conscia dudum
Præsulis aduentus, magis ardua vertice Olympum,
Et cæli interiora mihi pulsare videntur.

In natalem amplissimi ERASMI NEVSTETTERI, cognomento STVRMERI &c. II.

Munera

Munera natali Patronis luce Clientes,
Munera quisq; suo mittebat amicus amico,
Gratantes productam illa vsque ad tempora vitam;
Moribus antiquis dum res Romana, virisq;
Staret, & edomitum frænaret legibus orbem.
Quem ritum ne forte cui spreuisse superbè,
Aut tacitum videar prætermisisse malignè,
Accipe NEVSTETTERE, *sacri pars magna senatus,*
Herbipolim leni qua interfluit agmine Mœnus,
Accipe, cum gemmata mihi, cumq; aurea desint
Pocula, nec vestra hæc à me fortuna requirat,
Munera, opis quæ sola meæ, bona verba, precesq;,
Septima lux saluo vt videatur mense Nouembri
Sæpe tibi, & viridi longum latere senecta.
Septima lux certè hæc, quæ te, nisi fallor, in auras,
Præsidium, & decus egregium per sæcula Musis
Edidit, vsq; oculis dum vitam morte relinquam,
Festa mihi semper memori celebrabitur ore.
Semper eritq; verenda mihi, siue exul, & exspes,
Vt nunc, externo æternum tractabor in orbe,
Seu patriæ potius reuidebo mœnia Brugæ.
Quæ mea si pietas tibi NEVSTETTERE *placebit,*
Vt certè pietas mea NEVSTETTERE *placebit,*
Magnum operæ pretium, imo ingēs, me ferre fatebor.

PAN,

Siue Genethliacum dictum ERASMO filiolo C. V. IOAN. POSTHII, Archiatri Wirzeburgici. III.

Nascere, parue puer, calamis promisse paternis
Hæres, qua vitreis Moenus pellucidus vndis
Arua secat Francoa: Deus tibi ego ecce, deus Pan,

Moenalijs solitus calamos coniungere in antris.
Patria Francois mutaui Mœnala siluis.
Siluis, parue, tui, æternum, quas gratia honoris
Arcadicis mihi stat præponere montibus; ergo
Nascere, quid mea, quid genitoris votà moraris?
Iam certe illa dies venit, si rite recordor
Audita, in solis, fore, quam quondam obuia siluis
Fatali sua quæ victuris licia fuso
Torquet turba, tuo illustrem per rura canebat
Francica natali, vicibus sic carmina dictans.

I. *Tertia venturo cum lux effulserit anno,*
Cæsaris alterius dicti de nomine mensis,
POSTHIACA pulcher nascetur origine ERASMVS,
Cuius nec metas famæ, nec tempora pono.
Ducite currentes felicia stamina fusi.

II. *Egressum ex vtero excipiet quæ maxima Mœni*
Natarum; infantem & gremio officiosa fouebit.
Nec puero deerunt Pallas, Venus, & bona Iuno,
Hæc mores, decus hæc formæ, dare tertia mentem.
Ducite currentes felicia stamina fusi.

III. *At simul in plures crescendo exiuerit annos,*
Diuorum totidem succedet cura dearum
In iuuenis cura, & Maia dabit ore rotundo
Posse loqui natus; calamos Par, gramina Apollo.
Ducite currentes felicia stamina fusi.

I. *More sui post hæc peregrina per æquora vectum*
Discendi studio genitoris, terra stupebit
Ausonis orantem, Gallus mirabitur, & se
Vmquam Belgica ei similem vidisse negabit.
Ducite currentes felicia stamina fusi

II. *Inde domum ad patrem, dilectæ & ad oscula matris*
Insignem titulis reducem, pucherrima virgo,

Sed

Sed nec pulchra mage, ac virtutum copia abundans,
Et iucunda manent genitalis gaudia lecti.
Ducite currentes felicia stamina fusi.
Nec mora, auum faciet dilecta ex coniuge patrem: III.
Atque auiam faciet dilecta ex coniuge matrem.
Et patre honorato solo minor, omnibus aequè
Acceptus, patriæ curabit commoda consul.
Ducite currentes felicia stamina fusi.
Nec minus interea iam erectum a patre trophæum
Laudis, & ipse etiam spoliis ornabit opimis, I.
Carmine seu partis, & doctæ fulmine linguæ,
Siue neci & letho dereptis strenuus ipsi.
Ducite currentes felicia stamina fusi.
Quæ tibi cernenti quis erit, POSTHI optime, sensus? II.
Emeritæ orabis tanta inter gaudia vitæ
Finem, cumque thori consorte beatus in astra
Migrabis, claudet morientum natus ocellos.
Ducite currentes felicia stamina fusi.
Denatis vobis cupiet mori & ipse, sed obstat
Nostra colus, multos illum superare per annos III.
Quæ iubet, & natos natorum ex ordine longo
Cernere; & integra multum florere senecta.
Ducite currentes felicia stamina fusi.
Hæc, & plura deæ: sed cætera nosse vetabant
Mandata arcanis illarum verba susurris.
Vltra scire deo quod non sit mortiuago fas.
Vt nec scire vltra, scrutari aut fata laboro.
Tantum dicta fides de te rata, parue, sequatur
Parcarum, & felix, exactis mensibus, auras
Luminis inuisas; vt, ni sententia fallit
Me mea, & augurium non vllo tempore frustra
Conspectum mihi, iam cœli conuexa videbis.

Nubi-

Nubibus en herè, nunc se Iuppiter ore serenum
Ridenti ostentat terris mirantibus; ipse &
Herbipolim solam Phœbus, sibi conscius vrbem hanc
Insignem artificem hac in lucem luce daturum,
Despectat stanti similis, nec tangeris istis
Dis dilecte puer tamen, & tam magna moraris
Numina? multa satis matri fastidia, parue,
Gestatus grauido tot menses ventre tulisti.
Ecce tibi calamos, Parcæ quas ante canebant,
Iam properant mea vota, & arundinis vsq; minore
Ordine, septena seruatur fistula canna.
Tertia iam certe est lucis, quæ tertia mensis,
Qua tibi fatales nasci statuere sorores:
Hora; nec hoc numero auspicijs felicior alter.
Tres diuæ Idea; tres sunt sine veste sorores:
Ter tres sunt Musæ, tria virginis ora Dianæ:
Mentem fila iuuant triplici distincta colore:
Despuere, & carmen ter dicere amantibus aiunt
Auxilium præsens: ter dictus rumpitur anguis.
An te ergo hunc talem numerum contemnere fas est?
Credere sed nec te hunc numerum contemnere fas est
Parue, abeo ergo igitur, Mœno & genitore creatam
Tollere te natum, & Parcis parere iubebo.

Ecloga nautica. IV.

Intactam Beroen, sensus deperditus omnes,
Votiq; immodicus, malesano ardebat amore
Grippius; & patrijs proiectus rupibus amens,
Qua patet Hadriacum late prospectus in æquor;
Sub noctem hos quæstus vacuas tactabat ad auras:
Durior his scopulis, Beroe truculentior Orcis;
Surdior & pelago, thynnisq; fugacior ipsis:

Nunc

Nunc saltem ô nostræ subeat te cura salutis,
Quo me subiectas demittere corpus in vndas
Tempore agit furor, & miserandam arbumpere vitam
Hortatur, dignasq; mihi se sufficit iras.
Nunc saltem exorata veni, & me crimine tanto
Eripe, teq; simul, tandem & miserere doloris,
Cuius iampridem venti, miserentur & vndæ,
Et defessa meas dudum Echo iterare querelas.
Iam vox me in questus, oculos iam deficit humor
In lacrimas, solus solus dolor ille, perenne
Quo miserum torques, furit indefessus, & vnus
Lassari ignarus, nostri in penetralibus vndat
Pectoris, & prensam non deserit improbus arcem.
Cuncta cum vicibus certis humana regantur,
Æstatem Autumnus nimborum diues & imbris,
Illum tristis Hyems, hyemem Ver dulce sequatur:
Nescit sola vices, quæ mentem cura fatigat,
Crudelis, niminumq; mei secure Cupido,
Hoccine erat, quondam quod me sperare iubebas,
Amplexus mihi cum, nocturnaq; gaudia demens
Fingebam, & mecum hæc nequiquam sæpe putabam?
Sic veniet Beroe mihi; sic mecum ista loquetur;
Sic vna longo intexemus retia filo,
Alterna lentum solantes voce laborem:
Inter & hæc illi furtim sic basia pangam.
Improbe Amor, quæ nunc rapidis ludibria ventis
Vana volant, & te non nostra Cypride natum,
Pistrice ast aliqua, aut inmanis stirpe balænæ,
Nec nemore in Paphio eductum, sed gurgite in illo,
Monstroso Sicula antra freto quod diuidit aruis
Fertilis Ausoniæ, Oceano testantur: & illa
Incautis quæ tu promittis amantibus omnia,

Exagitate

Exagitatæ Austro suadent inscribere arenæ,
Cum interea infelix alienæ crimina culpæ
Plector ego; &, viduus rationis, cuncta fatigo
Quæstibus; vt si sit nostro medicina furori
Usq; queri, & sæuo non dent alimenta mage igni,
Quo amburor, lacrimæ, quæ, ceu de fonte perenni,
Erumpunt oculis sese iam nota perosi
Retia, &, ô quondam mea gaudia prima cicutam,
Cum calamis; quæ tum incertum est an mage amarim,
An nunc contemnam, quia nil iuuere furentem.
Frustra ergo exspectant mœsti mea iubila quondam
Delphines; notæque illidunt corpora rupi,
Nostræ admirantes insueta silentia Musæ.
Quin etiam nigro capti mihi tergore Milui,
Scombriq;, & xiphiæ, sargique, scarique; tragiq.
Auratis cum muranis merulæq; virentes;
Quos partim ingratæ seruauimus hactenus vrbi,
Partim, dura, tibi Beroë, moriuntur in vndis
Non sua mutatis per tempora; dum miser illa
In questu & lacrimis ducens, præbere recentes
Demoror, & dulces latices miscere marinis.
Et post hæc potis es nostros contemnere amores
Crudelis, nec te morituri funere acerbo
Vlla mouet cura, aut suadet miserescere Grippi?
Sed moriamur, ait; cum facta æquare parantem
Dictis, vicina siccans sua retia caute
Occupat Alcimedon, & verbis solatur amicis.
Cogensq; inuitum socijs succedere tectis,
Hortatur tristes animo secludere curas,
Inuitatq; meri compescere flore dolorem;
Dum victa in placidum dimisit lumina somnum.

In

In BALBVM. V.

Ore columnato qui dia poëmata pangunt,
Et rodunt primos vngues, digitisq; capillum
Fingunt dentati; taciti nunc astra tuentes,
Nunc in humum vultu fixo; lymphantibus omnes
Omnia consimiles, sunto mihi carminis, insit,
Materies, Balbus vates: mox prælia magni
Cæsaris, & captum Ticini ad moenia Gallum,
Omnia magna sonans, orditur dicere, & illum
Occiduas Bethis potantem fluminis vndas
Regem, nil maius quo Gallia tempore ab omni
Terra tulit, tulerit multos licet illa heroes
Insignes, & Marte pares, atq; arte Camillo
Cuilibet, aut Fabio; verum in quo desinat, audi.
Scilicet, hac homines, addit flens, lege creari,
Vt superent, superis libuit quæcunque ferendo.
Mundo etenim, rebusq; vices, quascumq; videre est,
Indiderunt, sortesq; suas, inmitia Diui
Numina; nec stare est fortuna semper eadem.
Vt me etiam afflixit miserum euitabile nulli
Fatum, crudele heù fatum; cuiusq; solebant
Magni etiam reges, magniq; optare Tyranni
Fœcundi vim consilij, formæq; decorem,
Diuitiasq;, ipsas Persarum vincere gazas
Quæ possent; humilem, abiectum sub paupere tecto
Degere, & exiguo vitam tolerare paratu,
Cogunt dI; diuis fatumq; potentius ipsis.
Nil tamen, insanum reboans, nil numina, subdit,
Nil fatum incuso, pensarunt omnia diui
Carminib. mereor princeps audire poëta
AEni huius; quodque ante fuit, porroq; futurum est.

Et

Et facio versus pede in uno sæpe trecentos.
Sic ait, & populi risu quatit ilia Balbus;
Bacchatur q, sui velut ictus numine Phœbi,
Horrisono complens latè loca circum ululatu.

Ad IANVM MELLERVM PALMERIVM. VI.

PALMERI *Aonio madens lepore,*
Quantum Palladijs madere Athenis,
Quantum Romulea madere in urbe,
Potes vix dederunt Dei duobus;
Sis salvus MODIO *tuo*, MODI *q,*
Multam BERCHEMIO *tui salutem*
Dicas nomine; versibus q, doctis,
Et qui PALMERIVM *suum loquantur,*
Commenda populo meos libellos.
Hos inquam illepidos meos libellos,
Undarum mare quam est, refertiores
Meri ruris, & inficetiarum,
Tuis carminibus inua benignus:
Et face, vt veniant in ora vulgi
Inepti minus, & magis venusti.
Si nescis etenim, mei libelli,
Incomti, & lepidi parum libelli,
Istas illepidas, inelegantes
Quæ nummo in triuys merent, puellas
Exemplum statuunt quod æmulentur
Quas tu scire potes decus negatum
Formæ, adscititio, & foris rogato, aut
Emto quærere, quod potest, colore.

ENNIVS. VII.

Primus ego Ausonia, Phœbi, de gente, sacerdos,
Puni-

Punica bella cano; & Carthaginis irrita pacta:
Iuratosq; Deos frustra seu fraude bilingui
Hoc factum est, seu sic Romæ iam fata ferebant,
Cui sola obstabat Byrse, caput vrbium, & orbis
Ne foret illa: atq; hæc de Poenis. altera bella
Scripsi etiam Æacidæ, qui monstra inuisa Latinis
Intulit in Latium princeps, stupefactaq; vertit
Agmina, Romuleæ, caussa altera maxima cladis,
Ni Siculi auertant; tantus surgebat in arma,
Sic spirabat auum, qui solus mœnia Phœbi
Strauit humi, & versam secũ tulit ad Styga Troiam.
Hæc & plura, inquam, scripsi: sed longa vetustas
Omnia consumens, sic me quoq; pessima adedit:
Vt tantilla meo mihi vix de corpore restet
Pars; scateat q; ipsa hæc infestis vndiq;, hietq;
Vulneribus; nil est adeo hoc sub Sole perenne.

P. VIRGILIVS MARO. VIII.

Quoà Graijs tres, vnus ego præstare Latinis
Aggressus; Sicula vt permulsi pascua canna;
Arua chely Ascræa impleui; mox arma, virumq;
Vatis ad exemplum cecini, cui Pelias ira,
Atq; errans per lustra duo sunt carmen Vlysses.
Nec mihi conanti Deus afuit: audit Homerus,
Audit & Ascræus pastor diuinus vterq;
Vates; sed mea laus maior, qui præferor illis.
Quo fit vt & minus indigner, si rustica sæcli
Musa rudis, dignas dum canto consule siluas,
Penè tubæ simili nostræ præfertur hauenæ.

C. SILIVS ITALICVS. IX.

Hannibalis furias cecini, qui, fœdere rupto,

Iuratam patri Romanis mœnibus hastam
Perfidus intorsit, trinisq; ex ordine lustris
Italiam ferro latè vastauit, & igni.
Sed quia rem gestam narro, mendacia vatum,
Et diuos hominum parcus miscere maniplis:
Est qui me numeros omnes implesse poëtæ
Iuratus neget: exemplar mihi carminis ipsa
Cum tamen Aeneis fuerit: nisi forte, quod aiunt,
Inuita fudui versum sufflare Minerua,
Arostris, centumq; viris Helicona mouere,
Atq; Arpinatem tentans mutare Marone.

M. ANNAEVS LVCANVS. X.

Me quoq; scriptorem belli, quo Roma laborans
Mole sua, vnius concesit Cæsaris armis:
Me quoq; de numero vatum censoria virga
Subtractum, historicis iungit, nomenq; poëtæ
Denegat; at siue historicus, siue istud habebor.
Viuam, dum historici, vatum dum carmina viuent.

M. TVLLIVS CICERO. XI.

Romani vocor eloquij, & patriæ pater, ipsa
Semper & inuidia iudice, talis ero.
Gaudeat extremo ergo alius quatere oppida in orbe,
Finitimis etiam non bene nota suis.
Me flamis gladijsq; iuuat Catilina, togatum
Orbis dire tuis eripuisse caput.
Sic quoq; & arma tuli tamen, & laudabar in illis,
Sæpe & res ductu non malè gesta meo est.
Sed quod cum multis ea sint communia nobis.
Visa meo, cura hæc digna labore parum est.
Huc ergo incubui toto molimine; Romæ

Roma-

Romano audirem vt primus in eloquio.
Et fauit cœptis Deus, ac natura: nec vllus
In tanta, mihi quin cederet, vrbe fuit.
Nec fini nostra hac stat gloria: postera sed quo
Deberent studys omnia sæcla meis:
Quæcumq; à Graijs hausi, rerumq; magistro,
Dum fero pro trepidis eloquij arma reis;
Vsu, posse aliqua hanc artem pro parte iuuare,
Expertus didici. qua breuitate potest,
In libros retuli: quandoq; nepotibus illa
Omnibus vt possent auxilio esse locis.
Pro quibus officijs, si qua est modo gratia nostri,
Vt mea ne frustra tot benefacta cadant:
Antoni cineri grauis vt sit terra, sepulti
Semper & vt stygijs vmbra fugetur aquis,
Optato, eloquij nostri de fonte perenni,
Quisquis es, arcanas qui sitis, hospes, opes.
Hoc me, cui dulci nectar manabat ab ore,
Quæque ipsas possent flectere verba feras,
Hoc me monstrum, inquam, res prodigiosa relatu,
Per mihi seruatas iudicum ab ore manus
Mactari iussit, cumulansq; hoc crimine crimen,
(Infandum hac si fas voce vocare scelus)
Exultans, capitis linguam à ceruice recisi
Barbarica pungi à coniuge vidit acu.
In rostrisq; dehinc spectandum ciuibus illud,
Immemor humanæ conditionis homo;
In rostris, inquam, posuit mea maxima virtus
Ante ea; quo cunctis cognita sæpe loco est:
Cum nostro pendens stupefactum vulgus ab ore,
Aut vrbem, & totam verius Italiam
Sæpe etiam inuitam mea dicta probare coegi,

Et quæ visa vni, velle, iubere, mihi.
Quod meminens aliquis, mea cum forte ora videret,
Mutaque non siccis cerneret illa genis:
Nil agis, Antoni, dixit: cum maxime ab illo,
Elinguem quem tu voce carere putas,
Nunc tua vulgantur totum scelerata per orbem
Consilia; vt si ea tu forte latere velis;
Solis ad occasum proscribendi eius ab ortu
Sint cuncti, Ausonium qua patet imperium.
Vera nimis dixit: viuis ego mortuus artes,
Semper & innumeris pectora foeta dolis
Narrabo AntonI; tu viuus mortuo eidem,
Quisquis es, optato sit modo terra grauis,

Q. CVRTIVS RVFVS. XII.

Pellæus nulli iuuenis virtute secundus,
Qui Persas, facere ante alijs quæ sæpe solebant,
Illa pati victos victoris lege coegit;
Cuius vincendi studio vnus non satis orbis
Visus; dum clausos illa vsque ad tempora montes
Scandit, & ignotam penè ipsis Indiam in Indis
Quærens, Oceano regnum hinc, hinc terminat astris;
Hic talis mihi materia est. vulgaria nempe
Spernit, se dignæ cupiens facundia palmæ.

P. OVIDIVS NASO. XIII.

Scripsi mutatas in corpora non sua formas,
Vsque mea à primis tempora temporibus:
Quæ confusa prius, iungens hoc ordine, maius
Ingenio humano hoc vt videatur opus.
Atque hic heroo vt superaui carmine cunctos,
Vnum de cunctis excipe Virgilium;

Qui

Qui pugnas, hominumque, tubis clangentibus, arma,
Pelidæq; iram, aut Troica fata canunt:
Sic illos, breuior quibus alter versus amatur;
Et maiore vno læta elegeia pede:
Tanto interuallo post me & mea terga reliqui,
Virgineis quanto dissidet Ister aquis.
Fastorum hoc libros detexi carmine; nullum
Carmine quo in Latio clarius exstat opus.
Hoc, quod crimen habet, facilis præceptor amoris,
Scripsi, quæ misero caussa fuere mihi,
Vltra Sauromatas cur deportarer, & exul
Barbaricis quererer tristia multa locis.
Crudelis Cæsar, Geticisq; immanior vrsis,
Debuit hoc regnis non licuisse tuis.
Omnia nam vt regeres, cunctorum vt frena teneres;
In sacrum vatem nil tibi iuris erat.
Sed tu expugnator patriæ, latro vrbis, & orbis;
Me quoq; proscribis qua Cicerona manu.
Et tamen Augustum post hæc te Roma salutat;
Nimirum dominum nouerat illa suum.

C. VALERIVS CATVLLVS. XIV.

Melle meum dulci magis aiunt dulce poëma,
Et solum doctum me mea sæcla vocant.
Et post hæc; aui stultum præsentis acumen,
Et fatuum vulgi discite iudicium;
Nunc durus vocor, & fertur mea currere Musa,
Vt quæ per rupes fluminis vnda cadit,
Quamquam, non ego me numeros cecinisse negabo
Dissimiles numeris culte Tibulle tuis:
Sed feci illorum hoc suaui dulcedine captus,
Neue coacta nimis carmina nostra forent:

Nunc contra bona pars vatum prapostera cogit
Verba etiam in versus semilatina suos;
Dum modo, quod magno captat molimine solum,
Illis Nasonis carmina more fluant.
Scilicet hos illi similes, quo iudice quondam,
Rustica Apollineam vicit hauena chelyn.

ALBIVS TIBVLLVS. XV.

Vt Cidnus nullas sordes, nitidissimus amnis,
Voluit, & á limo purus vbiq; fluit:
Sic mea Romanas inter castissima Musas,
Vndique natiuo culta decore nitet.
Ergo aliæ placeant ornatu trans mare sumto:
Nostra suo, & patrio si placet vna, sat est.

SEX. PROPERTIVS. XVI.

Pythagoræ si vera foret sententia, migrent
Alternis animæ vt post styga corporibus,
In te Callimachum iurem transisse, Properti,
Delitijs Graiûm sic tua Musa madet.
Felix, qui princeps diuina reperta Pelasgûm
Inserere Ausonios ausus es in numeros.
Signa alij, & tabulas, atq; ara Corinthia iactent
Per se prima suis visa fuisse iugis.
Te maior manet aternum laus, intulit vrbi
Per quem Romanæ Graia Elegeia pedem.

BRVGAE FLANDRORVM. XVII.

Quod Latio Roma est, doctæ quodq; Helladi Athenæ,
Hoc ego sum Belgis, Belgica Bruga, meis.
Non Phœbo sedes, aut Musis notior vlla est,
Quam mea qua inmoto stat prope Roia vado.

Nec

Nec minus interea merces tractare solebam,
Nostras Neptuni dum fauor auxit opes.
Sed nunc inuasit pestis me publica, solus
Belliger & nosta regnat in vrbe Deus.
Felix dum potui tantos nescire furores,
Me miseram, vt longè vita atauita mihi est!

Dialogus. XVIII.

Quid tibi tunc animi, formosa Neæra, futurum est, A
Cum tibi tam longe hic talis amator erit?
Quod quibus attonitum externat cor montiuagus Pan; N
Quodq; Iouis tactum quîs stupet igne caput.
Anne etiam interdum absentis te cura subibit, A
Et memori quidnam mente rogabis agat?
Immemor absentis quæcumq; est femina amici; N
Hæc numquam vera sciuit amare fide,
Inter mille metus, totidemq; hinc inde dolores, A
Quidnam, præreliquis quo moueare, habes?
Ne, dum alio mutat regiones sole calentes, N
Mutet & ardoris pristina signa sui.
Hà quid ais? noti temeras constantiam amoris, A
Perspectamq; tibi lædis, inepta, fidem.
Quin magis indicia hæc nostri sunt certa caloris, N
Certus amor semper quod vereatur habet.
Nodus amicitiæ, quo tanto tempore iunctus A
Est tibi, securam hic te merito esse iubet.
Non pote, quin metuã vsq; atq; vsq; hoc pdere, q iam N
Tempore tam longo non patienter amo.
Magni adeone igitur sentires tela doloris, A
Mutatam si alio verteret ille facem?
Tanti adeo, quanta mihi lætitiæ esse solebat, N
Vna diu tanti quod fui amica viri.

A *Cuiu, bella, tuum potes aſsimulare dolori,*
Hoc aliquis quotiens nuntius vrget iter?
N *Eius, qui iuſti damnatus iudicis vrna*
Feralem exſpectat in ſua colla manum.
A *Ergo mori ſperas, lentam de littore puppim*
Soluens, vela citis cum dabit ille notis?
N *Qui poſſum non momento quaſo emori eodem,*
Vmbraq; ſollicitum perſequi euntis iter?
A *Hem, qd agas etiam atq; etiã adſpice, ne tibi mors haec*
Extincto doleas quod magè amore ferat.
N *Verus amor neſcit leti contagia, verus*
Ipſo etiam à fati tempore durat amor.

FRAN.

FRAN. MODII BRVG. EPIGRAMMATA.

Ad Reuerendiſs. Dn. & Illuſtriſs. Principem, IVLIVM, Ep. WIRTZ. Fr. Orientalis Ducem &c. KL. auſpicib. anni cIↃ. IↃ. LXXXIII.

I.

NOn ego, ſole nouo hoc, partos precor vt tibi honores,
Vtq; tibi largas Iuppiter auctet opes?
Nam vel magna ſatis ſunt hæc; te iudice, princeps,
Vilia viſa animo cum potiora tuo:
Vel ſi nulla tibi niſi quæ te digna, dabuntur;
Quæ tibi iam tellus, quis ſatis orbis erit?
Hoc igitur cum ſole nouo potius precor vt dent
Numina; quæ votis maxima vota meis;
Hos longum populos ſolita pietate gubernes,
Et placidus terram, à terra vt amaris, ames.
Nec patrij templa ante petas ſtellantia cæli,
Quam Pylij impleris tertia ſæcla Ducis.
Quæ mea vota oculo ſi tu, dux inclyte IVLE,
Qua quæſo illa deus audiat aure, legas;
Forſan erit, tanti cum afflatus principis aura,
Principe quæ tanto non aliena canam.

Ad eundem II.

Siue tibi a magno demiſſum eſt nomen Iulo,
Conditor Albani qui fuit imperij:

Siue ſuum ille tibi Cæſar tranſmiſit habendum,
A quo Cæſareus nunc quoque durat honos:
Sic, quorum nomen retines, virtutibus anteis;
Cedat vt hic geſtis, cedat & ille tuis.
Macte ô primatum magnum decus, itur ad aſtra hac.
His meritis verè cœlica porta patet.
Macte, inquam, poſitor templorum, macte repoſtor,
Hic tibi ſeſe annus, ſe deus ipſe fauet.

Adhuc ad eundem, III.

Auſpicio feſtas anni pandente Kalendas
Illo, qui & nutu claudit aperta ſuo;
Quid tibi quid mage te dignũ precer, inclyte dux, quam
Vſque deus ſimilem te velit eſſe tui?

Ad eundem Reuerendiſs. Dn. & Illuſtriſs. Prin. verbis IOANNIS CHRISTOPHORI NEVSTETTERI cog. STVRMERI Ca. Wirtz. VI.

Sic æui faciat noſtri deus arbiter, anno,
Cuius primus nunc incipit ire dies;
Ipſum te vt ſuperes tantum, dux inclyte IVLE;
Factaque non verbis hic memoranda meis;
Præteritis, quantum ſuperas virtutibus, annis,
Quot ſunt primates ſæculo vbique tuo.

Eiuſdem ad eundem verbis. V.

Quæ bona verba puer iuueni dico, inclyte princeps,
Hic tibi vti felix, fauſtus vti annus eat:
Hæc eadem ille velit, qui eſt anni, & temporis auctor,
Me tibi cano olim dicere poſſe virum.

Ad

Ad ampliſs. ERASMVM NEVSTETTERVM cog. STVRMERVM Eq. FR.

VI.

Vt poſitis nitet exuuijs, meliore quot annis
Pelle, nouas vires & ſimul anguis habet.
Induuijs ſic noſtra recentibus aucta iuuentus,
Vſque refloreſcit munere, ERASME, tuo.
Munere; quod facit vt, dictu ô mirabile monſtrum,
Frigore dum pereunt cætera; Vere fruar.

Aurei ſecli reditum optantibus. VII.

Aurea quid querimur tam tardè ſæcla redire,
Et perſonata viuimus vſque fide?
Aurea, crede mihi, quicumque es, ſæcla redibunt,
Si priſcæ redeat ſimplicitatis amor.
Hoc ſine, viuetur, maſſæ melioris aceruis
Quamlibet in mediis, ferrea vita tibi.

Ad IOACHIMVM MATHANVM, Gallum, domi nobilem.

VIII.

Si MATHANE *mei iuris ſit quidquid vbique eſt;*
Dimidium cedat, quidquid vbique, tibi.
Verum hoc cum non ſit; quaqua vt tua munera penſem;
Vtere me toto, & quidquid vbique meum eſt.

De Amore. IX.

Quid pedibus vulgus ſanctum calcatis amorem?
Non facit ille animis, turba prophana tuis.
Virtutum ſuboles Amor eſt. vos nomen inane
Virtutem, & nullos creditis eſſe deos.

Nec tamen hoc mirum est; rectum vt quis tempore nullo,
Sed specie recti fallere cura fuit.
Hoc mirum; ingressos penetralia in intima diuæ,
Vertice quam patrio prosiluisse ferunt;
Iudicio ignari rerum subscribere vulgi;
Et turpem incurri credere amore notam.
Quod si sit, miseros ô tum pariterque & amantes,
Et pariter miseros, qui quod amentur habent.
Inquam, infelices ô tum, virtutibus vt qui
Maximè, & ingenitis sunt in honore bonis.
Quos in diuersum nemo non iure beatos,
Amagno & primos cum putet esse deo;
Quis neget hos tales dum demiramur, Amorem
Natum; diuini seminis esse genus?
Est, & erit. clament licet, & rumpantur iniqui;
Affectus nobis cælitus ille venit.
Nec quod peccari passim dicuntur Amore
Plurima, tantillum cur moueamur habet.
Vulgiuagæ Veneris proles hæc Ant-Amor audet;
Ingenio sanctus non Amor ore puer.
Sanctus Amor, sanctos qui gaudens iungere amantes,
Legitimi nouit basia sola thori.
Ergo iterum dico, vilem caue credere Amorem,
Aut contemnendæ, quisquis es, esse notæ.

Adcl. v. IACOBVM DYDIMVM I. C. X.

Hæc quoque certa suum vulgo vulgare pudorem,
Soricis, indicio &, more, perire suo.
Mitius vt pereant, criticæque vt verbera linguæ
Multa minus, quam sint forte latura, ferant,
Iudicio se IACOBE, tuo permittere, dum tu
Non nolis, fratres qua ratione, velint.

Quæris

Quæris vbi illorum frons sit, tibi quæ esse molesta
Sustineant, Themidis assiduo inter opus?
Iam tum illis periit, DIDYME optime, tuta perosis,
Et priuata, ex quo publica vita placet.
Quod te, per Phœbum, numen commune duobus,
Per quantum est comitum Phœbi, IACOBE, precor.
Qua meruere ipsis vt dextra stigmata inuras,
Qui culpas discant cernere, inusta, suas,
Viuere consilio patris quicumque recusat,
Externis frontem præbeat ille notis.

Ad IOAN. POSTHIVM Archiatrum Wirzeburgicum, cum illi HENRICVS STEPHANVS Theocritum dedicasset. XI.

Quod tibi Sicany Stephanus monumenta poetæ
Inscripsit, paribus facta Latina modis:
Nil Stephano debes caussa hac: qui dat tibi famam
POSTHI, dat famam hinc non minus ipse sibi

Verbis inuenusti amantis. XII.

Incurrunt quotiens oculis ingentia nostris,
Quæ læuo cogor ferre in amore mala.
Mortem oro, vt tantos valeam finire dolores,
Ante diem Elysium certus adire nemus.
Sed morti quotiens factus vicinior, hic sum,
Vt mihi Lethææ iam sitiantur aquæ,
Ilicet a portu in medium redeo, irritus, æquor,
Conatus, duplo quam fueram ante miser.
Caussam quæris? habe, mens exsoluenda labore,
Sperans secura exinde quiete frui,
Inmensum exultansque effert se in gaudia, quæ me
Vita iam prohibent deficiente, mori.

Et

Et quisquam nostro post hæc æquare dolori
Audet, qui sua sub Tartara damna ferunt?
Illi felices, infelicissimus ipse,
Viuere, cui mors est, cui noua vita, mori.
Vt, quæ vita affert mala, mors non auferat, & sic
Dum pereo assiduè, posse perire velim.

Ad Luciam. XIII.

Tam viuam accendis mihi, vita, in pectore flammam;
Posse vt iam subita morte perire velim.
Nec satis in miserum hoc tibi, Lucia; conduplicando
Diuersam speciem, supplicio, addis aquas.
Imas vt mihi cum pascatur flamma medullas,
Infaustæ madeant assiduo imbre genæ.
Sed frustra es, duplici si credis posse perire
Morte; magè impediet vis geminata necem.
Dum lacrimæ præstant nimio ne absumar ab igne;
Dum tutum a nimijs me facit ignis aquis.
Aut horum alterutrum tolle ergo, aut, Lucia, frustra
Ius, vitæ vt, mortis, poscis habere meæ.

Ad IVLIVM MICYLLVM Cancellarium Pal. XIV.

Virtutem meriti merito comitantur honores;
Et merces doctis conuenit ista viris.
Vno horum hinc Marius coniunxit numina templo;
Eodem vtrumque iubens esse in honore loco.
Nec malè, sed melius iuncta & sociata videntur
Hæc eadem, in cordis æde, MICILLE, tui.
Nempe labor peperit doctrinam; hæc duxit in arcem
Virtutum; prima est in quibus alma Themis.
Quarum tu semper fretus perstante fauore;
Dum propter sese quæ facienda facis;

Dumque

Dumque nihil, cuiquam vt placeas; e millibus vnus
Visus es, amplo hoc qui dignus honore fores.
Nimirum & nostro non semper tempore inane
Est nomen virtus, nomen inane fides:
Sed sua sunt etiam hac interdum ætate labori,
Interdum ex meritis præmia cuique suis.

De effigie Luciæ sculptili. XV.

In docili hanc scalpsit Veneris puer ære figuram,
Qua caperet regnis regna inimica suis.
Cui rei dum vultus illi dat matris, & omnem,
Qua dote aut Iuno, aut casta Minerua placet:
Astris dum insinuat que eius se luminis, ecce
Nescius ipse suum deperit auctor opus.
Deperisse parum est: etiam male sanus adorat,
Diuinoque deus laminam honore colit.
Neue quid indomito, atque insano desit amori,
Cordibus illi hominum & mentibus vsque facit.

Verbis male nuptæ. XVI.

Viuebam læta & secura Cupidinis olim,
Me miseram telis cum petit ille suis.
Sic quoque principio tamen, ijs male credula, tota
Quis dulce in vita, præter amare nihil:
Audebam stulte vitam sperare deorum,
Et mihi nescio quas fingere delitias.
Verum ô spes fallax: vt præbens colla catenis,
Ipsa animi pereo proditione mei,
Continuo in luctu, curarum in perpetuo æstu,
Lux lacrimanda mihi, nox lacrimanda venit.
Nimirum Æeta sic quondam filia regis,
Duxit Colchiacis otia læta iocis:

Nescia

Nescia curarum, donec formosus Iason
Non solitis miseram cœpit habere modis.
Quem mox illa suum cupiens lenire dolorem,
Dum sperat Graio semper amore frui:
Dumq; sibi spondet mera gaudia, fasq; nefasq;
Conculcans, pulchro qui potiatur hero;
Coniugio tandem exul, inops, exacta cupito,
Non exspectato plurima ab hoste tulit,

Verbis recte nuptæ XVII.

Viuebam tristis, nec rei satis vtilis vlli,
Donec in hoc nullus pectore habebat Amor.
At simul ille suis tetigit mea corda sagittis,
Dispeream, si non gaudia mille tuli.
Ergo sequi tua quæ iurabam castra, Cupido,
Esse agere in scopulos, duraq; saxa ratem,
Vnde olim tempestatem exspectare solebam,
Experta hic votis cuncta secunda meis:
Nunc, prô sancta Venus, quantum mutata priore,
Nocte, dieq; nihil, præter amare crepo.
Nimirum Andromede nigris sic tristis in Indis
Vixit, ab extremis non patre tuta malis:
Donec amata & amans simul, aere Persea vidit
Pendentem, & vinclis est resoluta suis.
Coniugium cuius quamuis sibi triste timeret,
Destruit exstructos dum patrui ira thoros:
Mox tamen experta est melioris commoda vitæ,
Non vano coniunx, certa futura viro.
Graiasque ingrediens ingens regina per vrbes,
Connubio vidit cuncta minora suo.

De Turco.

De Turco-Græcia MARTINI CRVSII. XVIII.

Debebas, fateor, CRVSI, doctissimè, Graijs,
Qui dant mutatis pallia ferre togis.
Debitum at hoc tanto, CRVSI, cum fœnore reddis,
Vt victos iurent se pietate tua,
Qua gemino historiam celebras sermone Pelasgam,
Quoq; cani Theseus, quoq; Quirinus amet.
Pro quo, si bene adhuc quæ duret gratia factis,
Sig; suus meritis nunc quoq; habetur honos,
Viuet laus CRVSI, dum viuet gloria linguæ,
Siue tua Theseu, siue Quirine tua,

Dialogus. XIX.

Iam conscendenti nauim cur lingua puellæ
Non potuisti illud dicere triste vale?
Mirum ni possem sensus deperdita cunctos,
Et magis ipsa etiam mortua morte, loqui.
Esto, at cum reducem dominam saluere inberes,
Tum quoq; num visa es mortua, lingua, tibi?
Stultò quid distat sapiens; an non dare vitam
Posse putas reducem, quæ necem itura potest?

De poematijs Io. LAVTERBACHII. XX.

Legi obiter furtimq; tuos, PVRBACCHE, libellos;
Quos tibi disparibus præcinit aura modis;
Quæ solet in versus totam se afflare canenti,
Vt modo commendet materia illud opus.
Iudicium vis scire meum? dicam Hercule, tantum
Dum verum, per te, sit mihi posse loqui.
Tale tuum visum est mihi, LAVTERBACCHE,
Quale eius debet, quo præeunte canis. (poëma,

Ad CONRADVM LEIVM.

XXI.

Parce precor, tibi pauca neget si carmina, Lei,
Nostra sibi culpæ conscia Musa suæ.
Carmina qui tibi dat, non se, non te capit, vna
Dignum se carmen Leia Musa canit.

Amans ad Cupidinem

XXII.

Si tibi certa domus hæc; atq; æterna futura est,
Perpetuumq; meo pectore habere iuuat:
Quorsum, Amor, vsq; nouo has depascaris igne medullas
Tamquam sint ædi pars aliena tuæ?
O te iam verè puerum! ô verè puerum bis!
Ipse tuæ incendas qui tabulata domus.

Idem ad eundem.

XXIII.

Parce tuas violens diuûmq;, hominumq; Tyranne,
Perdere in hoc quæso, pectore parce faces.
Ac dominæ potius, si amburere tanta cupido
Corda hominum est flammis pectus adure tuis.
Nam quid enim? niueus si sit sinus, inde necesse est
Dura illi æterno corda rigere gelu?

De NICOLAO REVSNERO LEORINO I. C. & P. L

XXIV.

Si cuiquam faciles se dent in carmina Musæ;
Dispeream hic vates ni Leorinus erit.

Ad ARNOLDVM AMEDAEVM.

XXV.

Culte Amedæe, cui nil possum velle negare;
Nil possunt Musæ velle negare meæ;

Hoi

Hos tibi habe verſus, animi teſtamen, ab illo;
Olim cuius te à morte ſequetur amor.
Non amat is vere; qui quem ſe dixit amare
Viuentem; à ſeris non amat exſequijs.

Ad LVCIAM.
XXVI.

Quo me cepiſti argutis, mea Lucia, ocellis
Tempore; ab hoc tantus me miſerum ardor habet:
Illi vt iam tum nil accedere poſſe putarem,
Vllis quo poſſet creſcere temporibus.
Mox tamen, vt quot perrexit tua forma diebus
A Cypriæ forma pluſculum habere deæ,
Cum cremento eius creuit meus ignis, & vſq;
Augmenta in damnum ſumſit, & vſq; meum.
Quod te, per Venerẽ precor, oro, atq; obſecro eandem,
Sis formoſa tibi & bella aliquando ſatis.
Nam ſi tantillum fias mage bella, fauillam
Ilicet in tenuem, atq; in cineres abeo.

Longe fugit, qui ſe fugit.
XXVII.

Quo mihi vitigeni colles ſpectantur, & herbæ,
Aut Mœni vitreæ lene fluentis aquæ?
Quo fontes, ſiluæ, ſaltus, & amœna vireta?
Non faciunt noſtris, illa, vel illa malis.
Hei mihi! quid prodeſt dominam fugiſſe ſuperbam,
Si dominæ huc etiam me comitatur amor?
Ille mihi media luce eſt dolor, ille tenebris
Vſq; nouis miſerum ludit imaginibus.
Sic, cui membra calor tacito depaſcitur igni,
Semper ſunt latices ſomnia, ſemper aquæ.

Ad MELCHIOREM HITTORPIVM. Theologum. XXIIX.

Gratulor, HITTORPI, *duplici tibi nomine. cū tam*
Mente duas tot a res simul vnus agis.
Nemo est te legis sacræ obseruantior alter,
Legisue interpres purior & melior.
Nemo est te Phœbi cupientior alter eodem,
Musæisue magis deditus in studijs.
Pro geminis igitur meritis, gemina hæc tibi inumbret
De filice & lauro texta corolla caput.

De RONSARDO. XXIX.

Quærenti dignum RONSARDI *carmine carmen,*
Aurem imam vellens Calliope admonuit:
Pone stylum, & ceram: RONSARDI *carmine solus*
Vindocinus Vates carmina digna facit.

Verbis supra fortunam suam amantis. XXX.

Supplicium, quod grande pati mihi luce necesse,
Et quod grande pati nocte necesse mihi est,
Icario demens dominam temerarius ausu
Quod legi, solo quæ Ioue digna viro est:
Tale est, vt metuam vultu mala nostra fateris:
Cogar ea & siccis dissimulare genis.
Vt tam viua meum cum rodat pœna cadauer,
Tum sit pœcipuè mortua lingua mihi.

In effigiem HIERONYMI BERCHEMII. I. C. XXXI.

Quod

Quod mortale tui est, BERCHEMI, *hoc alter Apelles*
Sat, fateor, graphicè expressit in hac tabula.
Immortale quod est verum foret alter ab illo
Spectandum dare qui posset in effigie,
Ipsa iam Inuidia sit iudice digna merendo.
Illa tenere homines, ista tenere deos.

Ad IOAN. POSTHIVM Archiatrum Wirtzeburgicum. XXXII.

Exemplum verum Pœbi, Phœbi arte in vtraque
POSTHI; *seu medicæ est, seu melicæ artis opus.*
Exemplum de te da terris, ne velut alter
Ille, astra, & cæli sidera totus adi.
Phœbo quippe priore illo supera arce recepto,
Spes erat in fato, die poeta, tuo.
At te denato; neque enim fata altera restant,
Non Phœbum est ætas vlla habitura suum.
Quod ius fasque igitur, serus conuiua tonantis
Fias, & senij hic nescius, vsque vale.
Exemplumque tui, hæc pertæsus sæcla, futuræ
Da ætati, vt Phœbum cernat & illa suum.

Ad formosam identidem speculum consulentem. XXXIII.

Quid faciem, malesana, tuam defixaque & hærens
Hinc atque hinc positis suspicis in speculis?
Anne malum oblita es facinus, fonte indice quo olim
Narcissus propria tabuit effigie?

Asimulatio. XXXIV.

Hæc quotiens tueor vicina cacumina cælo,
AEquaque Olympiacis hæc iuga franca iugis:

In mentem totiens voti temeraria nostri,
Inmodicique venit vana cupido animi.
At quotiens ventos tempestatesque sonoras
Audio, & indomitos vasta per antra sonos;
Tum vero subeunt animum suspiria anhelo
Pulmone, atque imo pectore promta mihi.
Rursum si fontem video, de monte perenni
Subiecta hinc, illinc, qui loca fœtet aqua;
Vndarum ex templo fio memor, & lacrimarum,
Qua mihi de geminis semper eunt oculis.
Nec satis ad luctum tamen hæc; viduata sed arbor
Fronde sua quotiens obuia forte mihi est;
Spes subito in mentem insinuat, qua mortua sæpe,
Nescit, ne desit quod doleam vsque, mori.

In quendam. XXXV.

Quid mirum Anna tibi si se patiatur amari;
Strateris capitur illa & amore tui.
Carpitur, haud capitur; peccaui grammate in vno:
Non Annam seruus, seruum amat Aanna tuum.
Munera tu mittis, transcribit munera seruo:
Das lacrimas, lacrimis frangitur ille datis.
Quin, ne quid pereat tibi, ne non omnia ad illum
Perueniant, precibus iam Annam amat ille tuis.
Et miramur adhuc si ansatus inambulet? eia,
Scit Dominæ domini se dominum esse sui.

In Symbolum NICOLAI REVSNERI I. C. (quod est, FER, SIC FERRE. XXXVI.

Nemo adeo in terris hominum est, qui dicere possit,
In vita nullum crimen inesse sua.

Verum

Verum vt qui vrgetur minimis, felicior ille est,
Sic tamen hic fælix sæpe vbi peccet habet
Qui sapis ergo alium patienter ferre memento,
Ignoscet culpis promtius ille tuis.

In aliud eiusdem REVSNERI symbolonm, quod est: FORTITVDO. GLORIA. ET SALVS MEA DOMINVS. XXXVII.

Fortiter ille potest, domino quisque auspice pugnat,
Quisque deo fretus, quod gerit, omne gerit.
Dauid in exemplo est, caso memorabilis hoste
Ense suo, magni qui agminis instar erat.
Nec fretum esse deo satis est tamen ante periclum,
Aut dum præsentes res vocat ipsa manus.
Omnis ad hoc etiam benè gesti gloria belli
Victori est eidem dandi, dicanda deo.
Gloria nostra ille est, solo laudemur in illo.
Quæ voti fertur summa fuisse tui.
Tam bene vasani qui spernens Cæsaris enses,
Pro voto hoc vera & relligione iaces,
Inclyte, & Herculei fama æmula, Paulle, laboris
Monstrosis purgas dum loca cuncta deis.
Ergo etiam tibi qui fuerat fiducia mentis
Vnica, qui mentis gloria & vna tuæ,
Hic tua, Paulle, salus idem fuit, est erit, illi,
Qui simili tecum norit amare fide.
In quibus ante alios nomen, REVSNERE, dedisse,
Sæculum ad exemplum vt te sciat omne suum,
Ex animi, quodcumque facis, sententia idipsum
In promtu semper, semper in ore geris.
Felix qui Paullum, & Dauid, tam magna secutus
Exempla, exemplum posteritatis eris.

Amantis

Amantis de somnijs ominosis querela.

XXXIIX.

Scilicet hoc restabat, vt & solatia, mœsto
Tempus ad hoc fuerunt quæ reliqua vna mihi;
Nescio quo auferret lasus mihi crimine somnus,
Adq; hostes fieret transfuga & ipse meos.
Ergo qui soleo, lassatus mole doloris,
De dominæ fastu qui mihi luce venit:
Nocturno interdum recreari tempore, visus
Vti dura illa difficiliq; minus.
AEquarunt postquam, dolor eu, nocturna diurnis
Se mala, & in somnis est quoq; dura mihi,
Solatl extrema hac defectus imagine, vere,
Quid superest, cur non posse perire velim?

Ad Venerem. XXXIX.

Hoccine amare vocas, fallax Amathusia, vitam
Nunc inter flamas, nunc agere inter aquas?
Intus edax fibras, & cor depascitur ignis,
Ex oculis lacrimæ, fluminis instar, eunt.
Hoccine amare vocas, fallax Amathusia? lege,
Qui sapiet, tali nullus amator erit.

Amoris descriptio ad Luciam.

XL.

Quid sit amor, quid amans, si nescis, lux mea, ab vno
Discere me, quid amans, quid sit amor potis es.
Nam quotiens furor hic, duplicē quem insanio, gliscit;
Meq; omni expertem consilio ire vides:
Cum fugio, quæ prima putat pars sanior igni
Huic extinguendo, cum sequor id quod obest:

Deniq;

Denique cum nequam facio, & frugi esse laboro,
Tum verè facio hoc, lux, quod amare vocant.

Ad eandem. XLI.

Defungi ante diem, & nullam sperare salutem,
Hæc mihi sola salus, lux, in amore tuo est.

Daphnis in laurum. XLII.

Quid mirare, puella dei si sprouerit ignes
Daphne, qui Eoo portat ab axe diem?
En, nunc facta arbor, veteris q; oblita figuræ,
Sic quoq; magni audet temnere tela Iouis.

Ad ADOLPHVM MEKERCHVM.
Flandriæ præsidem.
XLIII.

Natali, MEKERCHE, tuo fausti ominis omnia
Abijcere, & bona me dicere verba iubes.
Quod, Musas testor, vellem vt vis: dicere quisquam
Sed bona carminibus qui pote verba malis?

De cl.v. FRANCISCO NANSIO, FRANCONATVM consulatum ineunte.
XLIV.

Gratulor hunc etiam fastis accedere nostris,
Quo fertur consul NANSIVS *esse, diem.*
Et precor, vt Septembre nouo, tam candidus, & tam
Formosus niueis sæpe recurrat equis.
Fallor, an intonuit læua bis Iupiter? euge,
Scire licet votis pondus inesse meis.

Ad IANVM LERNVTIVM.
XLV.

Quidnam IANE, rei dicam esse hoc, portinus vt te
Conspicio, insolitus quod quatit ossa tremor?
Esse quid hoc, animi quod mens lymphatur, vt illis,
Pectora quis Phœbi plena furore calent?
Anne sacro vati tibi quod vult ferre salutem,
Seque tuo quanta est insinuare animo?
An quod, vt est stultè temeraria, se quoque laudis
In partem sperat posse venire tuæ?
Certè sive hæ sunt, sive est caussa altera; scriptum
De MODIO in memori hoc pectore semper habe.
Ante feras medio victuras æquore; siluas
Ante habitaturas squammigerûm pecudes;
Quam tua de nostris emigret cura medullis;
Sive ero quod cupio; sive ero quod vereor.

XLVI.

Balnea calfaciens, & quæ meret ære puella,
Commune hoc omni tempore habere solent;
Seu probus aduenìat, veniat sive improbus hospes,
Vnico vt in labro semper vtrumque lauent.

XLVII.

Omni sub saxo si dormit scorpio, vt aiunt;
Hic ne te feriat cautio habenda tibi est.
Sub furuis quidquid tenebris latet abditum; id omne
Esse solet varijs materia apta dolis.

XLVIII.

E terra explorat sapiens quid luna minetur,
Quid subeat ue oriens mane timere dies.
Postquam altum tenuere rates, sero illa videntur:
Aduersisque etiam est ire necesse notis.

XLIX.

XLIX.

Floribus omnipotens si rex imponere regem,
Suaui qui reliquis præsit odore, velit.
Non illis violam, non suaue rubentem hyacinthum,
Pæstanam iubeat sed dominam esse rosam.
Veris honor, plantarum oculus, prati decus, almæ
Terræ ornamentum præcipuum vna rosa est.
Hæc dulcem venerem, faciles hæc spirat amores:
Apta hominem, apta ipsos conciliare deos.

L.

Pulcra quidem fateor res est, hinc inde duorum
Nexu animi vinctum cernere coniugium:
Pulcra tamen res hæc tot fert incommoda secum,
Coniugio vt pulchrum nil minus esse putem.

LI.

Te fœcunda Ceres spicis; te Bacche racemis;
Te placida hoc niueo munere lacte Pales.
Pro quibus officijs vt rumpant horrea messes
Illa det, hæc pecori consulat, iste mero.

LII.

Ferre coacta iugum, Latona ô nata, maritum,
Et tibi promissæ damna pudicitiæ;
Hoc arcum infelix, pharetramque in stipite, honori
Cum lacrimis sacro, & dedico, Diua, tuo.
Teque precor, si me haud nescis discedere siluis
Inuitam, hoc reddas propietate mea:
Quam venatrici fautrix Diana fuisti;
Tam Lucina adsis dextra vocata mihi.

Ad

Ad ADEODATVM MARIVORDAM cognatum LIII.

Idē nos, MARIVORDA, *Deus raptat, trahit, vrit:*
Atque rota sauus versat in orbe sua.
Ex aquo captis ardemus mentibus ambo,
Te tuus ignis habet, me meus ignis habet.
Spes tibi nulla sup̄ domina, MARIVORDA, *fruēdi:*
Posse frui domina spes mihi nulla super.
Ergo cum cuncta hac tibi sint communia mecum; &
Communis mecum hac sit medicina tibi:
Non solum indigno te multa in amore tulisse,
In vi pœnarum hac sed socium esse mihi;

Naturam expellas furca &c, LIV.

Qui vetat obliquo cancrum procedere passu,
Et rectum recta postulat ire via,
Postulat vt manibus cœlum tangamus, & inde
Cribro collectas huc referamus aquas,

In eandem sententiam. LV.

Desinet obliquo cancer procedere gressu.
Cum delphin siluas, vrsus habebit aquas.

Ad IANVM GVALIELMIVM. LVI.

Exsiccare sciphos, crebros deplere trientes,
Plenum adeo insani est, IANE, laboris opus:
Quam totam, quanta est, potando ducere lucem,
In posito noctem peruigilare mero,
Intoleranda sitis quamuis res esse feratur,
Tantaleo æternum vt more siture velim.

AD IACOBVM DIDYMVM, Antecessorem Wirtzeburgensem; LVII.

Astraeae venerandae sacra, diuaeq; sacerdos,
Cui puro verum manat ab ore sophos.
Quid nam asserta tibi, per te, dabit illa virago,
In maiestatis pristina iura sua,
Indignè multos nimium tractata per annos,
Quae nunc excusso libera facta iugo,
Haud aliter postliminio te vindice gaudet,
Illo restitui quo fuit ante loco,
Ac quondam doluit, mortali fraude coacta,
Cum pollutam omni crimine liquit humum?
Barbara nescio quae diuinum stigmata vultum,
(Quod neq; in ingenuo lex fieri ore sinit)
Turpabant fœdè vsq; adeo, ignorabilis ipsi
Vt miseranda etiam iam foret illa sibi:
Nec satis, exutam regnis, quae ante omnia secla,
Optimo vti & priscos iure tenebat auos,
Ducere cogebatue indignam Iniuria vitam,
Quod magni miserae muneris instar erat;
Vel peregrina pati exsilia, externisq; sub oris,
Non toleranda homini, plurima ferre Deam.
Vindicijs illam cum tu feliciter vsus,
Asseris in priscum mellifluo ore decus.
Qua qua res fieri potuit re iustior, aut per
Quem numero hanc erat hic aequius esse suo,
Quam per eum diua faciente hac clarus in vrbe
Clarior olim qui qua patet orbis erit?

AD GREGORIVM BERSMANNVM de editis ab eodem Virgilij, & Ouidij operibus. LIIX.

Ingenij

Ingenij BERSMANNE, *potens, quod Phœbus Apollo*
Ingenua quauis arte madere dedit:
Quod tibi, quod tali reddent pro munere munus,
Quotquot amant certis claudere verba modis.
Heroo tibi quo princeps in carmine vates,
Quiq; Tomitano non bene in orbe iacet,
Tanto, & tam vigili studio sunt editi, vt illis
Nil vltra quidquam accedere posse putem?
Dudum & in hoc, & in illo imitando multa notaras:
Non dubium ad laudem qua via sternit iter.
Nec satis ad decus hoc; satagis coniungere, vt horum
Integer auspicijs esset vterq; tuis.
Faueruntq; adeo his Musæ conatibus ipsæ;
Fauit Musæi duxq; paterq; chori.
Iamq; corona duplex tibi quernea (ciuibus olm hic
Summus seruatis nempe duobus honos)
Tertia debetur, BERSMANNE, *& laurea; cingant*
Nobile, de prisco, qua tibi, more, caput.

Ad ADOLPHVM OCCONEM, Med. Augustanum
LIX.

Dispeream immeriti nisi significatio amoris,
In scriptis lucet qua manifesta tuis,
Erga me inuisum, tam grata mihi accidit, OCCO,
Vt pote nil animo sit magis esse meo.
Contendamq; omni noctuq; diuq; labore,
Seu quicumq; mihi hic carminis vsus erit;
Ne tanto inueniar quondam aut indignus amico,
Arguar aut simili non quoq; amasse fide.
Iure, lubens, alias cedo tibi vbiq;, nec vlla est
Res, tecum de qua cernere marte velim;

Sola

Sola in amicitia concedere nec scio, nec iam
Scire sinat philij cura animosa Iouis.
Cetera non omnes aquè omnia possumus, vnum
Arbitrij res est libera amare mei.

Ad SEBASTIANVM NEVSTETTERVM, cognomento STVRMERVM Eq. Fr. LX.

Diuitibus strenas qui mittit pauper amicis,
Appositè hoc semper, si sapit, ille cauet,
Munus vt exiguum commendet gratior vsus
Illi, cui quauis posse placere velit.
Vilia nam pretio qui dat, nec grata palato
Accipientis, emit vltro odium ære suo.
Vsu quod mihi ne veniat tibi carmina dum do
Vilia, fortunæ sed tamen apta meæ,
Apta tibiq; tuisq; optare noui auspicio anni hoc,
Felici is felix omine cœptus eat.
Nec vereor nec dum viuam, STVRMERE verebor;
Nota mihi est animi mens generosa tui.
Notus amor Phœbi, tibi, quo faciente pusillum
Hoc magni munus muneris instar erit.
Sitq; precor, quantum Phœbo STVRMERE, tibiq;,
Et fratri cupio posse placere tuo.

Ad PASCHASIVM BRYSMANNVM I.C. LXI.

Cum fora, cum lites inter tam dulce loquare,
Quaq; canis culto tam liquidum ore sonent,
Dū nūc POSTHIOLVM BRYSMANNE epigrāmate nunc
POSTHIOLI affaris cum genetrice patrem,
Quem fecisse deūm rear ingenium tibi, vel quas
Carminibus Veneres se insinuasse tuis;

Si

Si neque Calliopea fauet diuersa secutis.
Castra, fori strepitus nec ferat ipsa Venus?
Nimirum, desiderium, quo sorte beari
POSTHIADAE simili in tempore posse cupis,
Eque tibi nuper sociata coniuge pignus
Vlnis fœcundi tale tenere tori,
Hoc desiderium tibi, dico, in carmina vires
Hoc verbis veneres tot dat inesse tuis.
Nominis at desiderij cui tanta paterni
Vis, hic quid faciet, non faciet que pater?

ICARI sepulchrum. LXII.

ICARVS hic situs est, pulchro temerarius ausu
Lucifero dum vult cominus ire deo.
Remigio alarum hic cecidit miserabile corpus
Defectum; etherias mens habet alta domos.
Mens habitat cælo; generosaque pectora eadem
Plurima, vel simili morte perire velint.
Nam quid casu eius præclarius? astra petiuit;
Astra tenet; spolium corporis æquor habet.
O posita in digno fœlix audacia cœpto;
Non poteras alia clarior esse via.
O damnum lucro quouis præstantius! o mors,
Qui sapiat votis cuique petenda suis!
Non iussis potuit patrijs moderantius vti;
Nec secta fuum est mens generosa ducem;
Sed magna affectans, magnis tamen excidit ausis;
Annorum & victor sic quoque victus erit.
Nobilius quidquam hoc certamine & esse putemus,
In quo victoris victus ad instar ouat?

Ad

Ad IANVM LERNVTIVM. LXIII.

Non ita Penelope reditu gauisa mariti est,
Licia post tacito sæpe retexta dolo:
Vt me facta tua oblectarunt carmina ab arte,
Vno mi decies sæpe relecta die.
Felices illi, qui sic celebrantur ocelli,
Ingenium, & tu, cui tale puella facit.
Fas ex indicijs sit rerum euenta notare;
Sola omnes veterum hæc vincet honore nurus.
Nec te culte minor culto hinc LERNVTE *Tibullo,*
Nec minor hinc Vmbro gloria vate manet.
Quin tibi sponte suos donat Verona triumphos,
Laudibus & cedit Lesbia, Hyella, tuis.
O iterum felix igitur faciente puella,
LERNVTE, ingenij flumina tanta tui:
Felix ô iterum culto illo vate puella,
Cuius in æterno carmine numen eris.

FRAN. MODII BRVG.

SACRA CARMINA

Ad Reuerendiſsimum D. ANTONIVM RESCIVM Epiſcopum Salonenſem, Suffraganeum Wirtzeburg. SS. Th. Doctorem &c.

I quid in his, venerande, meus peccauerit error;
Grandia non magno dũ ſtudet ore loqui;
Fac culpas quaſcumque, tuas, mea crimina, laudes;
Et patrio, pater, hos corrige iure modos.
Non ego ſacra volo ſtudio violare prophano,
Sed domino grates dicere & ipſe deo.
In quo ſi pecco, nollem peccaſſe; precorque
Æquior hoc nauis ſit tua lima meis.

Ad deum opt. max. trinum & vnum.

I.

Te cano, cui tellus, mare cui famulatur, & orcus,
Te cano, cælorum cui famulatur honos.
Tu dominus, tu rex, tu diuum hominumque creator.
A te noſtra ſacrum venit in ora melos.
A te ſunt citharæ, ſunt plectra, & pecten, & hymni,
Facunda in laudes organa iure tuas.
Per te, ſumme Deus, rerumque æterna poteſtas,
Angelici durant tempus in omne chori.
Per te ſæcula eunt, ibuntque carentia fini,
Et certum ſemper neſcia habere modum.

Per

Per te mane diem diffundit in æthera Titan,
Succedit fratri, te duce, Luna suo.
Per te clara suum distingunt sidera mundum,
Et polus est multa illustris vterque face.
Per te, quod supra est, vltraque hæc omnia, cæli
Celsum conuexis inseruisse caput,
Inque domos superas escendere, & in propria illic
Est ausus summum quærere sede deum
Remigio rationis homo, & pernicibus alis,
Quæ puras mentes ad supera astra vehunt.
Omnia de nihilo tu, rex æterne, creasti,
Et distincta suis iussi habitare locis.
Idem tu, quæ facta, pari bonitate gubernas:
Et, quod condideras, hoc regis auctor opus.
Vix effatus eras, verbum res iussa secuta est.
Verbum, nempe, tuus filius illud erat.
Cum genitore suo natura filius idem,
Maiestate idem cum genitore suo.
Atque hic ille ipse est, qui nutu cuncta creauit,
Esse iubens mundum, quod fuit ante nihil:
Quem regeret nutu, terrarum quo foret orbis,
Et sua quæ rebus dant alimenta vices.
Omnia quæ complens diuina spiritus aura,
Cunctis, vtroque a cardine, multus inest.
Viuentem hanc triadem, sed solum vnumque monarchã
Dicere fert animi lingua ministra mei.
Errorum nisi me densum circumuolet agmen,
Nique meis humeris id foret impar onus.
Quod te, sancta trias, deus vnice, quæso, rogo, oro:
In tanta vt tibi re sit voluisse satis.
Sin poscis meliora: tuo me flamine sancto,
Spiritus alme, imple, & quæ potiora, dabo.

Pierides, Phœbus, Pallas, sunt nomina: solus
Tu das, & verum in carmina numen habes.

II.

Sat Veneri, & Veneris puero sudauimus olim:
Incipe nunc alios nostra Thalia modos.
Mens animi magis augusto me incedere passu
Imperat, & Latia fila mouere lyra:
Non in pulchrigenas, in nigroculasue puellas,
Materiem citharæ cognitam in ante meæ:
Sed de virgineo partu, recreata reuixit
Quo gens, quæque Hypanim, quæ Eridanũq; bibit.
Thesauri curarum, & nomina fluxa bonorum,
Quæ gerit in fatuo fœmina, virque sinu:
Et tu, commendata opibus, salueto, caducis
Fors, iubeo res te dehinc tibi habere tuas:
Nam quo diuitiæ mihi, quo forma inclyta, quo vis
Corporis, & multis cognita fama locis?
Quo tituli augusti, quo fasces, sceptra, curulis,
Vni conanti posse placere deo?
Tractet equos alius scitè mage, tendat & arcum,
Et melior fortes abdat in arma manus.
Inmodicus voti hic gazas, hic captet honores,
Aulasque, aurata compede vinctus, amet.
Hunc laudent iuuenes, illum laudate puellæ,
Incedat flauis celsior ille comis.
Istum apud Hesperios populi mirentur, & Indos,
Mirentur populi, Teutonis ora, tui.
Me iuuat ignotam reliquis, notissimam at vni,
Desertò, vitam, ducere in orbe, deo.
Tu tantum, diuina mihi sapientia patris,
Tu tantum ô cœptis sis comes vna meis.

Te

Te faciente etenim, melius lasciua iuuentus
Submittet iusso feruida colla iugo.
Te faciente senex annis mage digna loquetur;
Quæque queant canas sola decere comas.
Te faciente, ætas melius feret vtraque curas;
Et mala, quæ secum plurima pauper habet.
Non tamen, vt, tenuem cupiens traducere vitam,
Paupertate premi tam vehemente velim,
Vt sua naturæ desint alimenta; decensque
Non vestis, ratio quæ iubet, illa tegat.
Pauperiem extremam hanc vnam modo deprecor, vt
Vana aliqua aut cogar conterere arte diem, (ne
Aut vetita attentare malus mihi suadeat auctor
Virtutis, vacuo plurima ventre fames.
Sit potius celebrare tuas, pater optime, laudes.
Sit laudes nati commemorare tui.
Vtque sacri e vobis procedens flaminis aura,
Idem vobiscum tempus in omne deus,
Numine cuncta suo late impleat, auctet, & ornet,
Toto vt eo nullus angulus orbe vacet.
Te, te inquam, ingenitum genitor sit dicere rerum,
Vnigenamque tuum, & flamina dia mihi.
Aut hoc si, vt nimium est, nimium est, & ad ista ca-
Non faciant nostræ tenuia fila lyræ, (nendum
Sit saltem gratas grates grato ore sonare
Sole nouo vobis, sole cadente mihi.
Felix, qui potuit speciosa pericula temnens,
Res solidas fluxis anteputare bonis.
Non hunc sacra fames dites extrudet ad Indos
Auri, facto animæ naufragio ante suæ.
Non sitis in pugnas malesana extrudet honorum,
Imperet vt multis, mancipium ipse gulæ.

Denique non spes hunc poterunt deuertere recto,
Quas varias mundus sollicitator habet.
Sed pedibus calcans terrena, Deum Cynosuram &
Suspiciens, ad quam dirigat hospes iter:
Huic laudes semper memori meditabitur vni,
Siue dies veniet, seu cadet, ore, dies.
De numero quorum, quamuis me conscia culpa
Mens premat, & noxis degrauet illa caput,
Pro bonitate tua da sim, mitissime diuûm, &
Despiciam reges, despiciamq; duces.

III.

Ecce iterum rediens, discussis, alma, tenebris,
Lux orbi Eoo portat ab axe diem.
Sunt igitur dicenda iterum noua carmina lucis
Auctori, vt menti reddat & ille suam.
Sunt dicenda Deo, dum matutina relaxant
Illius in laudes organa vocis aues,
Carmina dico iterum, citharã puer huc mihi, vt ipsas
Æmulus, illam etiam voce animem ipse mea.
Arbiter hic rerum, rerumq; aterna potestas,
Has istis voluit rebus inesse vices:
Vt noctis tenebras lux pelleret alma diei,
Furuam, nox tenebris lucem, adoperta caput.
Nox adoperta caput tenebris, distincta sed vt sit,
Illa tamen multis vndiq; luminibus.
Hinc atq; hinc magni stellantia vertice Olympi,
Quis tale, & tantum fecerit auctor opus:
Vt taceant homines, nutu quæ velle videntur
Exprobrare oculis, Graie Epicure, tuis.
Sed tu cæcus ad hæc; ægrotæ ô somnia mentis!
Ex atomis fingis cuncta coisse tuis.
Ex atomis tanto soli tibi tempore notis:
Cum tamen & posthæc qui te imitentur habes?

Infelix hominum genus, atq; insanius illis,
Qui proprias armant in sua fata manus;
Scintillantia non cœlorum templa videtis
Non tacitis vobis dicere velle sonis;
Discite, mortales, de nobis credere verum;
Et summi laudes concelebrare Dei.
Discite nutantes alio componere mentes,
Ambigua & post hac desinite esse fide.
Non potuit nostrati ornatum hunc addere mundo;
Aut nostris alius ponere iura polis:
Quam qui de nihilo facere est potis omnia; nec si
Quis queat, ipse suum post regat auctor opus.
Nil sine lege vbi sit certa, nil ordinis expers,
Ne temere hic mihi quid posse coire putes.
Cernitis vt puro exhilaremus ab æthere terras,
Vt lateant vicibus lumina nostra suis?
Vnde hæc cura astris, hæc vnde modestia, iussu
Cogantur facere hoc ni potioris heri?
Hæc inquam vobis astra ingeminare putate,
Heu malè tam miti turba aliena Deo.
Ad quem ego; sed vestris dignetur luce tenebris
Ante sua tandem ferre precatus opem;
Ad quem ego iam, dico, redeo; auctorẽ omnium eorũ;
Quæ gremio tellus, quæ fouet æthra suo.
Radicem rerum, quot sunt, fueruntq;, vel olim
Voluendi secum temporis hora feret.
Qui pater, atq; idem est mater; qui femina, qui mas:
Qui dextra claudit quidquid vbiq; sua.
Salue, magne parens, diuúmq; hominumq;, meiq;
Accidat auriculis carminis aura tuis.
Siq; adeo nil voce precor, nil mente, nisi vt sit
In sano hæc semper corpore sana mihi;

Da, Deus, hoc numquam morbi contagia fœdent,
Frausq; dolis numquam hanc subiuget vlla suis.
Expellensq; meo mordaces pectore curas,
Fac totum in laudes posse sit ire tuas.
Et tum ego me arcanis librans super æthera pennis,
Mortalis cælo carmina digna canam.

Ad seipsum. IV.

Quid tibi vis anime, aut quanam te cura fatigat,
Et vetat opata sæpe quiete frui?
Quæ tibi parua nimis, vel quæ sat magna videntur
Horum, præberi quæ sibi vulgus amat?
Ob quæ bella gerunt, ob quæ discordibus armis
Cernunt, & stant hinc filius, inde pater?
An tibi fors Gygæ placet annulus, & fieri optas
Rex, sed corrupto regis in ante toro?
An Midæ ad exemplum vis indurescere tactu
Cuncta tuo, & sumtas ore rigere dapes,
Apposito vt pereas diues miserabilis auro,
Et voti pœnas perpetiare tui?
Vis gemmis splendere Indis, rutilare beryllis,
Aure cæua & magna deterere vrbis opes?
Vis tibi centenis tellus scindatur aratris,
Plenaq; quam multis horrea habere locis?
Balantum vis mille greges, armentaq; mille,
Pascuaq; irriguis quæ secet amnis aquis?
Vis vanos tribuit quos mobile vulgus, honores,
In plausum vt resonent rauca theatra tuum,
Vt caput excelsus nunc inter sidera condas,
Contemnis vilem nunc tuearis humum?
Connubium felix, fœcundi pignora lecti
Plurima vis, reddant quæ patris ora suo;

Solli-

Sollicitudinibus carpare vt pluribus, omnia
Infelix illis dum quoq; tuta times?
Eloquio notus fieri super æthera poscis,
Dum fers pro trepidis arma diserta reis?
Figere vis pretio, pretioq; refigere leges,
Pendeat à nutu vt Iusq; forumq; tuo?
Sub galea Martem spirans, vis Induperator
De cæso hostili figere opima duce?
Pulnere Olympiaco vis sordidus arte quadrigas
Sic regere, admissis vt caueatur equis
Meta; coronato & celebreris vertice victor,
Teq; omnes digito prætereunte notent?
Vis statuas poni tibi? saxea vis monumenta?
Vis miracla, leuis qualia Memphis, amat?
Omnia vis, inquam, hæc; aut ex his omnibus vnum
Quidlibet; optatis vt potiare tuis?
Há bene, per diuos, anime, his non tangeris, vmbra
Vana quæ veluti, & somnia vana volant.
Instar quæ sonitus, vestigia nulla relinquunt,
Quem facit è neruis missa sagitta suis.
Aut fragor hic veluti, plaudentis, turba, coronæ,
Concurrens læua & quem facit arcta soror.
Rectè inquam hæc spernis. quis enim sapiente, bonoq;
Vmquam digna satis tam bona fluxa putet?
Crede mihi; non sunt, non sunt bona; crastina quæ lux
Eripere, atq; alio transdere iniqua potest.
Non sunt hæc, inquam, bona; quæ iuxta improbus, ac si
Sit probus, à capta lumine Forte capit.
Quæ nos destituunt, nec concomitantur euntes,
Vnde retro huc nulla posse redire via est.
Ergo nec accipies etiam à me hæc talia; quamuis
Arbitrij fiant mens ea cuncta mei.

Verum hoc quod potius velle, atq; optare videris,
Iungêre angelicis angelus ipsa choris.
Meq; meam digitis citharam pulsante, volucris
Astra super, cœli & templa ferêre tui.
Hospitium q; illic nobis, præmissa, parabis;
Quo tecum æterna, à morte, quiete fruar.
Tu quoq; dic mihi nunc, Caro; quid miserabilis optas,
Ne vita, ante diem, deficiare tua?
Vis mensam assyrio fragrantem semper amomo,
Semper & in multa dulcia vina rosa?
Vis madida vnguentis caput, & vis tempora sertis
Cincta, Aganippæam voce animare chelyn,
Aut inter molles iuuenes, muliebre crepantes
Nescio quid, turpes turpis inire modos,
Et cantatrices, saltatrices q; puellas
Nudatas inter, ducere nuda choros?
Vis, qui pruritu faciant rumpare Cinœdos,
Quæq; alia ad vinum iungere luxus amat?
Vis hæc à nobis, inquam, Caro; nempe dabuntur.
Sed dono huic laqueus non alienus erit.
Scilicet, hospitibus deberi hæc munera auaris;
Votorum inmodici & qui nocitura petunt.
Saxea te rupes humani ignara laboris,
Aut contignatum, nescium at artis opus
Defendet contra solem, pluuias q; gelaq;,
Quæq; alia irato sub Ioue habenda forent.
Vestis, semideum tibi erit de more, Cameli
Villi; vel rabido pellis ademta lupo.
Tergora seu capræ, veterum gestamina auorum;
Aurea dum terras sæcla habuere rudes.
Herbatorum lasso præbebit qualibet, vmbra
Siue vbi lata almam fagus opacat humum;

Tem-

Tempore seu verno in vestiti gramine campi,
Multa cicada hiemis nescio vbi ore canit.
Victus erit simplex; & mensa ignara cruoris
Non est iudicium deteritura tuum.
Strata sed in molli vicinum gramine ad amnem,
Vmbram silua suis densat vbi alta comis:
Vilia præbebit; sed nescia fercla veneni,
Qualia pellitos fama aluisse patres.
Cœpe, & trita diu manualibus hordea saxis,
Alliaq; in propero tostaq; rapa foco.
Pocula præteriens leni dabit agmine flumen;
Aut lac; si niuei copia lactis erit.
Delitiari vltra tendis, nociturag; captas,
Et malè multo vis ebriola ire mero?
Largitorem alium tibi quære; domesticus hostis
Non placet; vt serpens, qui, stupefacta gelu,
In tepido recreata sinu, seruantia carpit
Membra, receptus, me, in pectoris ima, necet.
AEdes visne tibi ornatas laquearibus aureis,
Quodq; aurum artifici emblemate vincat opus?
Vis variam, & multo squallentem murice vestem,
Qualem operosa olim dat Phrygionis acus?
Vis frustra. nil tale tibi præbebimus vmquam:
Nec tu, si sapias, hæc, Caro, dona petas.
Nam quid agis, malesana, nisi vt maturius Orcum
Visas, Tartareo victima digna Deo;
Hà misera. exemplo hoc lichni circumuolat, in quo
Stultitia pereat papilio, igne, sua.

Ad Christum Saluatorem.

V.

Nunc quoq; te resonant nostræ, citharaq; liraq;,
Et vox in laudes officiosa tuas;

Christe

Christe Dei verbum; afflictæ fiducia mentis
Vnica, spes hominumq; vnica, & vna salus.
Te dico, qui fine carens; qui principij expers;
Flamine cum sancto, cum patre cuncta regis.
Te, qui, vt lux vera es, vera de luce tenebras
Discutis; & menti vt luceat vsq; facis.
Qui vicibus noctiq; diem, noctemq; diei
Intemeranda succedere lege iubes;
Nox lassata labore leuet quo membra diurno,
Quemq; sui moneat muneris alma dies

Ad eundem. VI.

Innupta nupta partum, patrisq; canamus
Consilium, clauso quo via facta polo est.
Nate hominis venerande; Dei certissima proles;
Lux, quæ perpetuo lumine clara micas;
Aduentu tenebras cœci qui discutere orbis,
Dignatusq; hominum sæcla beare tuo es;
Qua lingua, quo te digno satis ore loquemur;
Factaq; quo dextræ prodigiosa tuæ?
Seruit ab occiduo cœlum tibi limite ad ortum;
Postaq; quæ medio terra, fretumq; loco.
Sol equitans tibi dat claro sua tela diei,
Ingq; suo gaudet plurimus esse polo.
Pellit Luna tibi taurina fronte tenebras
Noctis; & hinc spatium conficit illa suum.
Arua tibi fruges, siluæ dant pascua; montes,
Flumina; dant valles quæ tibi quæque potest,
Quin etiam si quæ est homini fiducia de se,
Acceptam hanc donis fert etiam ille tuis.
Quod te, Christe, precor, per, quæ tibi gratia nostri
Olim hominis suasit, induere ora Deum.

Fac

Fac vehemente adeo te amplectar amore viciſsim,
Olim hominem exutus cœlica vt vrna colam.

De eodem, ſepulchro condito.

VII.

Arcanum ô nullis penetrabile ſenſibus! ille,
Quem penes eſt vnum quidquid vbiq; vides;
Omnia quem comprehendentē, Mare, Tartara, Ter-
Splendida cūq; ſuis ſidera & aſtra polis, (ram;
Non Mare, non Terra, aut cōprehendere ſidera poſſūt,
Ipſaq; non pœnis Tartara fœta ſuis;
Conditur exiguo, noſtra ob peccata, ſepulchro;
Pro quibus & tergum nempe ſequeſtre dedit.

Qualibus in tenebris quodcumq; hoc degitur æui?

VIII.

Cum repeto, quæ ſit miſeræ inconſtantia vitæ.
Et pede quo noſtri tempora Veris eant.
Vicini nix vt ſolis feruore liqueſcit,
Soluunt ſe in lacrimas, lumina noſtra ſuas.
Heù deſideria! heù noſtræ male tuta iuuentæ
Vota! quid optatis ſum miſer ipſe meis?
Demens, qui ventos totiens in vela vocarim,
Mergere quis noſtram maxima pugna ratem.
Eheù, quid volui miſero mihi? ſed bene viſa eſt
Vera oculis tandem quod Cynoſura meis.
Aras nunc vitare, & ſaxa latentia certum eſt;
Iamq; adeo in portum, quærere, qua ſit iter.
Auguror & prope abeſſe; Deus mea cœpta ſecundat:
Vicimus; in portu noſtra carina ſuo eſt.
At cur multa adeo clypeum poſt vulnera ſumo?
Auxilium ſerum hoc cur mihi pene fuit?
Quid bona ſtultus ego hæc, vulgi leuitate vocabam,
Quæ cumulant cunctis pectora noſtra malis?

Noune

Nonne nihil solidi dudum hic esse ipse videbam,
Vani cuncta vbi se somnij ad instar habent?
Haud dubiè ante pedes lucebat semita nobis,
Nemo sed insanus cernere sana potest.
Ni foret; alter cur vmbram Narcissus amasset,
Fas mihi cum verum corpus amare foret?

In diem Dominicum,

IX.

Solis adest cum sole nouo, hinc exeste prophani,
Solis adest Domini voce notata dies,
Cum sole, illustrans mentis qui luce tenebras,
Irradiat radijs pectora nostra suis.
Sole, triumphata qui quondam morte resurgens
Egit Tartareos sub sua iura deos.
Solis, iô passim linguisq;, animisq; fauete;
Solis adest, faueas vir, mulierq;, dies.
Alma dies, rerum tot habens miracula secum,
Et Dei in humanum tot benefacta genus:
Vt nec cui linguæ centum sint, oraq;, centum,
Ordine cuncta suo dicere posse putem.
Ergo igitur requiescat humus; cessate coloni
Dura luce sacra ducere aratra manu.
Stentq; coronato capite hinc pecus, inde iuuentus;
Otia pastores, otia pagus agat.
Non bene nunc lætæ committas semina terræ,
Non bona erit festa hac luce resecta seges.
Semiputata etiam exspectet sua tempora vitis;
Aut tristi inmitis sanguine Bacchus erit.
Sex Deus ipse suo voluit satis esse labori,
Septima non vlla est re temeranda dies.
Hac etenim, vt taceam breuitatis cætera amore,
Lux mundi inmundam luce beauit humum.

Hac

Hac Peluſiaci vinclis exemta Canopi,
Cara Deo iuſſum gens aditura ſolum;
Tranſiuit ſiccis rubrum mare paſsibus, & ſe
Merſit monſtratis hoſtis ab hoſte vijs.
Hac, manna omnigeni referens alimenta ſaporis
Alto mirantum fluxit in ora polo.
Morte triumphata infernoq; hac deniq; Ieſus,
Verus homo, verus nec minus vſq; Deus,
Humani indigna generis ſpem á morte reſurgens,
Exemplo voluit non dubiam eſſe ſuo:
Se quoq; qua confiſum eius bonitate paterna,
Iuſto facturum tempore ſperat idem.
Et talem hanc lucem, æternæ primordia vitæ
Quæ tibi tam fauſtis inchoat auſpicijs,
Quisquis es, intempeſtiuo temerare labore,
Barbarus, aut ſolita ponere in arte potes?
Hanc vino, hanc chartis, potes hanc inſumere ludo
Illicito, illicitis aut violare iocis?
Hà ſcelera! hà mores! ſic omnia ſancta prophanant,
Poſt lucrum quibus eſt relligionis amor,
Poſtq; voluptates; magno dum ſponte labore
Ad piceam quærunt quod ſtyga ducat iter.
Prô lauas mentes! ſibi quæ, quo tempore olympo
Facta via eſt; faciant Tartara ad ima viam.

Oratio Dominica.

X.

Magne pater, qui cœli habitas conuexa, polisq;
Æterni leges diuidis imperij:
Sit ſanctum nomenq; tuum, & tua fama per orbem,
Qua patet exoriens, occiduusq; dies.
Fiat vt in cœlo tua ſic tellure voluntas,
Sint rata ſenſa tui cunctaq; conſilij.

Da victum nobis, & quis vitæ indiget vsus;
Vsq; memor, dextræ nos opus esse tuæ.
Cuiq; suæ offensæ fiat sic gratia per te,
Offensæ ignoscit proximi vt ille sui.
Ne tibi sit nos aduersis tentare; procul sed
Pelle mala à nostris omnia liminibus.

PROTREPTICI VERSVS.

Ad IOANNEM CHRISTOPHORVM NEVSTETTERVM cog. STVRMERVM Canonicum Wirtzeburgensem.

Inprimis venerare deum, venerare parentes,
A magno primos quos decet esse Deo.
Non dico hos tantum, vulgi quos more parentes
Dicimus; vt tangant hæc mea verba duos:
Stetq; intra patrem, & matrem veneratio, de qua
Hic ago; longe alia rem ratione puto.
Magna iys ante alios, fateor, reuerentia habenda est;
Vitæ habet auctores quos sibi quisque suæ.
Vt tamen haud minus hos iubeare audire senectus
Quos monet in patrio te colere vsque loco.
Præsertimq; alia hoc vinclum si vincula stringant,
Sanguinus agnati qualia fœdus habet.
Qualia adoptiui scit iuris regula; seu quæ
Est alia, huc ratio quæ facere vlla potest.
Quid quod morum etiam sanctè vitaq; magistris
Parere, haud duro cogitur ore puer?
Quid quod litterulas tradentibus, & præeunti,
Ingenuum quæ sit non didicisse pudor.

Qua

Quæ tamen vt capias melius ; per singula cuntis
Verba mea hæc auida CHRISTOPHORE *aure bibas.*
Desidiem si quid credis, cane peius & angue
Vita ; res rerum pessima desidia est.
Cumque adeò nil sit somnus nisi mortis imago ;
Et fugiat molles turba nouena thoros:
Mane nouo simul illustres Aurora feneſtras
Intrabit, clarum nuntia adesse diem ;
Membra thoroque leua pigrumque expelle veternum ;
Hà miserum ! hic cuius pectore morbus hebet.
Ante diem surgunt opera ad fabrilia fabri ;
Sæpe diem nummo nuntius ante capit.
Et te non stimulent de lecto surgere diuæ,
Quæ ducunt certa ad cælica regna via ?
Tu quoque surge eia, surgensque deum tibi habere
Placatum, precibus fac mereare tuis.
Hunc vbi placaris : corpus curare memento.
Mundum animum in mundo corpore habere decet.
Dextra lauet purè lauam, læua inde sororem,
Fontibus e puris colluat ora liquor.
Nunc leuiter panno mulce, nunc pecte capillos ;
Hæcque etiam, precibus, dum facis ipsa, vaca:
Spiritus vt sua dignetur tibi dona fauere.
Lumine collustrat qui tenebrosa suo.
Inde intermissa est spectare negotia tempus ;
Iunctæ & tota mente vacare rei.
Ne dum mox veniat, qui te data pensa reposcat
Turpiter ingenuo non toleranda feras.
Plagosi nec iam mihi dicitur illa supellex
Orbilij ; ferulæ, verbera, flagra, minæ.
Conueniunt illis hæc, quidant nomina ludo,
Qualia sunt Parcis, qualia bella gerunt,

Virgas, & scuticas mitto; sceptra Orbiliorum:
Sit tibi dicta etiam non bona ferre graue.
Dicque adeo ipse tibi; non tantum verbera tergo,
Sed verborum etiam est durus in aure sonus;
Exprobrare meis factum natalibus vllum
Indignum, iusta quæ ratione queant.
Degeneres animos admisisse arguit vllam
Culpam in se, hortetur quam procul esse pudor;
Aut vitasse metu potius, quam laudis amore,
Quæ tua, lex, probitas quæ fugere ipsa iubet.
Hæc, inquam, tibi dic: dictisq; æquare memento
Facta; modus vitæ & sit ratio ista tuæ:
Iamque adeo vnus eris præsente, absente magistro, &
Idem; mane idem, vespere & vnus eris.
Nec iam opus vlterius tibi erit moderamine nostro;
Verum opus vt non sit; sic quoq; & ista lege.
Quo currens veluti generosi sanguinis vltro,
Calcari admonitus fortius ibit equus;
Tu quoq; carminibus studio maiore feraris
Hortatus, sponte ad quæ facienda meis.
Præceptore igitur feret vt ientacula pistor
Digresso; allatas stans age sume dapes:
Leniter hinc modico spatiatus tempore, libris
Redde animum, & quæ sint altera pensa vide.
Ad nonam veniet siquidem, velut ante, magister,
Exigat iniunctum qui tibi rursus opus.
Respondere cui quam res sit plena pudoris
Non potuisse, alio sat monuisse loco est.
Mensa vocat decimaq; monent nos pulsibus horæ
A Era, decente datos carpere more cibos.
Ante Deum tamen vt submissa mente precemur,
Sanctificet nutu prandia nostra suo.

Hoc

Hoc inquam facto demum est accumbere tempus;
Structorisq; tibi sumere scissa manu.
Exspectas legem vt ponat quoq; nostra bibendi
Musa? sitim sedent quæ tibi, vina bibes.
Nec mera; Bacchus amat vicino flumine nasci,
Miscenda vt largis vina sciamus aquis.
Qui potus modus est, si conuenienter amabis
Viuere naturæ, hic sit modus ipse cibi.
Quem tu dum capies, si quod conuiuâ iocosus
Exempli narret liberioris opus;
Ne risu, aut risu quod ineptius, acta cachinno
Prosequere annis quæ sunt aliena tuis.
Diuide sed geminas alio aures; vel tibi verba hæc
Non intellecta vt dissimulanter eant.
Cumq; adeo hæc mensæ soleant audire secundæ;
Tu primis facito sit tibi pulsa fames.
Surgere & hinc esto memor; ac de more Tonanti
Pro donis grates dicito, habeto suis.
Vt surgas me vrgere putas ad munia velox,
Præscripta à medio quæ tibi certa die?
Nil minus, ô bone; nil tale à te postulat; at te
Contra adeo facere hoc nostra Thalia vetat.
Et iubet aut modicis primam te lusibus horam,
Aut licitis stantem condere velle iocis.
Quin intenta nimis nolit studia esse secundæ
Ipsius; hac melicis imbui at ora sonis,
Aut relegi historiam, quæ miscens vtile dulci,
Instruat exemplis, exhilaretq; suis.
Tertia conueniet rursum grauioribus hora
Rebus, âge ergo alacri huc pectore rursus ades.
Et siue altisoni memoranda est Musa Maronis,
Doctum suauiloqui seu Ciceronis opus:

Gnauus age hoc, quod agis; merces non parua laboris
Exspectanda tibi hinc gloria certa venit.
Et facies, si te bene nouit, voce magistri
Quod facere aut pro re aut tempore iussus eris.
Quare, hæc transiliens, cum cænam sumseris, illo,
Quo tibi prandendum diximus esse, modo:
Parcior hæc vt sit paullo tamen; acta reuolue,
Quæque tibi tota sunt memorata die.
Nonne vides carptas semel vt bos ruminet herbas,
Seque iacens sumpto pascat vt ante cibo?
Quod facit ille iacens de gramine; id ingrediendo
Tu tota auditis de tibi luce face.
Subque ipsum quo te stratis componere tempus,
Intentus bis ter crastina pensa lege.
Cætera quis nescit? cælestem rite precatus
Patrem, somno animum, fessaque membra leua.
Omnis idem officium fors lux habeatne requires,
Quilibet & more hoc debeat ire dies?
Nequaquam. sunt & placidis sua ludicra Musis;
Nec semper rauca pulpita voce sonant.
Est fas est latis tibi delinire laborem
Lusibus interdum, est otia grata sequi.
Assiduum nec te in libris habitare iubemus;
Non tangi inuito sed satis hosce tibi est.
Libros tracta alacris quo ius est tempore; sed quod
Extra hoc dum licito, quolibet abde modo.
Iamque vale, atque animo quæ dixi inscribe, fereris
Ore vno laudi consuluisse tuæ.

In Symbolum Amplis. ERASMI NEVSTETERI, cog, STVRMERI, &c. quod est.

AMAT ARDVA VIRTVS.

Sydera

Sidera vt ipſa citis plangit Iouis armiger alis,
Lucifero gaudens cominus ire deo:
Sic pertæſa ſoli, cæli petit ardua virtus;
Alta ſuo demum digna labore putans.
Virtus, cuius amor cum quantum hydropico in vndis
Plus potæ mediis plus ſitiuntnr aquæ,
Tantum, NEVS TETTERE, *tibi cultiſſime in horas*
Creſcat; & in leges te trahat vſque ſuas:
Dic quid mirum eſt virtutis gloria merces?
Te quoque laude noua ſi ſuper aſtra vehit?
Scilicet, inuito licet vt tibi corporis vmbra,
Sic magnis gaudet laus comes ire viris.

Ad CONRADVM DINNERVM I. C. Conſiliarium Francicum &c.

Tu quoque de noſtris apinis DINNERE *laboras,*
Et genium nugas credis habere meas?
Ingenio iuxta genioque carentia ſcribo,
Et rus, ſi neſcis, noſtra Thalia merum eſt.
Quin igitur taceo? vellem potuiſſe. ſed heus tu,
Semper ego auditor carmina nulla canam?
Non ita STVRMERO *placeam, placitura laboro*
Condere, quam duco turpe ſilere mihi.
Quis te morbus habet? nempe inſanabilis ille,
Scribere nil, leto triſtius eſſe puto.
Veron' hoc dicis? ſi quidquam credis amico,
Non ipſum verum verius eſſe poteſt.
Vnde mali obiectum tantum tibi? ſuſpicor inde,
Quod vatum inſeruit me quoque Muſa choro,

Vecta cito quæ per nubes animosa veredo,
Ex bisido ingenti hoc personat ore iugo.
An cuiquam de te plus quam tibi credis? amabo,
Qui possum tanto credere nolle viro?
Nil homines, nil cui diui potuere negare,
Tantulam huic ego rem credere velle negem?
Quin potius credo, est ignari credere docto:
Et me quam reris gratior error habet.
Nauigem vt Anticyras hortaris, & helleboro illic
Expurgare animi ludibrium omne iubes?
Non tanti mihi non, DINNERE, *audire poeta est:*
Nauiget Eumolpus, me furor iste capit.

Ad IOANNEM ERASMVM FLOSSERVM D. M.

Omne tulit punctum qui non præsentia tantum
Præsenti medicus vulnera sanat ope;
Antidotis sed ad hoc nouit munire salutem,
Morborum nullis cedat vt illa malis.
Quæ præstare in me duo dum, FLOSSERE, *laborans,*
Pœonio ægro nunc gramine dexter ades;
Nunc etiam solo das poma fugantia odore,
Læsurum quidquid tristior aura parit;
Quid tibi pro tali hoc reddetur muneris à me
Munere, quo mihi nil carius esse potest?
Non bene pensantur vitam dare idonea dona
Donis, in quæ aliquid tempora iuris habent.
Carmina reddam igitur? nimirum carmina: quando
Nescia sunt vllo hæc sola perire die.
Aurum, æs, argentum gemmæque ætate fatiscunt,
Quam donant Musæ fama perennis erit.

Quantum

Quid volumus nobis miserandæ sortis homulli?
Quid iactat fortes ille vel ille manus?
Quid ceras alius, proauitaque stemmata, & ipsas
Cum regno Attalicæ conditionis opes?
Quid tumet hic forma, ingenio hic? mors vltima rerum
Tollere tantillo hæc tempore cuncta potest.
Cuius qui sapies semper-memor vnius; vni,
Vt moriare deo, viuere disce deo.

Beneuolo Lectori &c.

Vspicatus sum à prosa oratione hoc quidquid est libelli, amice lector; desino in prosa. & desino caussa tua. quem styli nostri inaequalitatem in eodem carminis genere mirari posse intelligo, nisi consilij nostri rationem intellexeris. quod ego talesemper secutus sum, vt multum interesse, & ad rem facere existimarem; quid ad quem scriberetur. cuius parum mihi interdum memores videntur, qui gaudeant, doleant, rideant, fleant; ament, oderint; seria, ioca tractent; superiori, aequali, an etiam inferiori scribant; non tantùm eodem ferè dicendi charactere, sed & ijsdem, quod possunt, numeris vtuntur, hoc vnum praecipuo studio captantes, cauentesque interim, nec vbi ab Ouidij, vt putant, scribendi ratione, modisque discedant. Quod, vt verbo dicam, non magis mihi probatur, quam eorum in alteram partem fastidium, quorum sapientiae nihil adeo facit, nisi per rupes veluti, & scabra saxa cadens. in vtrisq; certe modum desidero. illis tamen aequior futurus; si, cuius numeros amulari profitentur, eius alias quoque virtutes non negligerent. quid enim? an, si numerorum suorum amans, tenaxque Ouidius est, elocutionis securus, dum illis studet commodare, (quod Martiali scommatis occasionem quaquà captanti vsu veniisse, & cauere non potuisse Critici notant) aliquod vsquam verbum minus proprium, aliquod minus Latinis auribus vsitatum, tot suis operibus inculcauit? ab illis doceri velim. ego enim, in eius lectione cum cura versatus, nihil tale in ingeniosissimo, & amoeniss imo poëtarum deprehendere hactenus possum. si non feci; quaro iterum ex ijs; & mihi iam hic, beneuole lector, cum vulgo po-

go poëtarum rem esse volo, ne quis se ex maiorum gentium, vt sic dicam, vatibus peti putet; quæro, inquam, ex ijs iterum; quid ita in vna sæpè pagina malint decies in sermonis Latialis puritatem peccare, quàm æquè Ouidio curæ fuisse omnibus probatum confido, quàm semel in illius numeros cõmittere. sanè; si quis ita à natura comparatus est, & à studio confirmatus; vt omnes Ouidij virtutes æquè atque numeros exprimere possit; hic, me censore, princeps elegiographorum nostri æui hoc lustro legatur. sin illos tantum sectatus; reliquas viri dotes ad miraculum vsq; claras insuper habet, rursum dico, probare non possum. maloque paupertini ingenij mei conscius, aliquid sumere à singulis, quàm in vnius verba iuratus, eius laudes meas culpas facere; multasq; illius elegias corrũpere, dum vnã aliquam infelici imitatione exprimere contendo. vtq; hubertatẽ ingenij, & flumina dicendi rerum verborumque copia exundantia in Peligno vate; ita in Vmbro felicem Græcorum æmulationem; in gaudente foco semper lucente Tibullo natiuum illum, & non alunde arcessitum cultum, suspicio. Quin ne Catulli quidem grata scabrities, siue horror est (ignoscant mihi doctissimorum virorum iudicia, quæ ego turbæ & scholis data non ambigo,) in loco mihi displicere solet. tantumq; abest, vt, quod vnius alicuius horum poëtarum testimonio, & auctoritate confirmari potest, in vitio ponam; vt etiam in laudibus numerem; modo suo, vt dixi, loco, & cum iudicio ipsorum iudicijs, neque enim temerè tantos viros aliquid scriptum reliquisse credibile est, vtamur. etsi, de me, vt non sum tam insanus, qui hanc à me in hoc libello moderationem adhibitam vbique prædicem; ita veniam dandam ei puto, qui hanc harum nugarum (seu quo-

cumq; alio viliori nomine nostra hæc appellare libuerit) editionem non captandæ gloriæ, aut nominis, sed animi potius sui gratitudini erga bene de se meritos testandæ, adornauit. vt taceã, ne proprium quidẽ hoc esse studium, si non grauissimis planè, certè in immensum patentibus, & maximè varijs distracto. De reliquo vt in genere paullò ante; ita speciatim deinceps de modo, quem in his poëmatijs interdum tenui, pauca etiam dicẽda veniunt, ne quid temerè potiùs, quàm iudicio hac in parte commissum videatur. Primo igitur loco, quod non abibit, sat scio, quin vapulet; tribus istis versibus (neq; enim pluribus omnino quod sciam hoc accidit) qui pagina 2. 14. & 69. ita leguntur:

Carmine quantũ igitur vincor vinco argumẽto.
Dum & dicent desiderium absentum testati.
Heroes, ceu pace boni vosque heroinæ.

his, inquam, versibus Grãmaticorum canonas migrare sustinui: quibus grauiter cautum stat, vt huius generis metra quarto loco dactilo necessariò leniantur. sed non pudet Virgilianæ imitationis, cuius ex absolutissima Æneide hi sunt versus:

Aut leues ocreas lento ducunt argento.
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles.

at hoc illi licuit in tanto opere. iniuriã mihi facis, quisquis es. an enim ego qui Catullũ, Tibullũ, Propertiũ, Ouidiũ, tanti facere me dico, vt vnam cuiuslibet ipsorum testimonij dictionem pro sexcentis habere me profitear; Virgilium, Deum illum poëtarum, infra illos putem? sed addidi ibi sobriè illis talibus vnicis, aut raris certè auctoritatibus vtendum. & vtor quidem. nam & extra eos quos posui versus nihil simile, quod sciam, in meis reperietur; & locis plane suis ni fallor adhibeo.

alioqui

alioqui, si leuigare voluissem, cuius erat opera leuiter ita versus istos inmutare:

Carmine quantū igitur vincor supero argumēto.
Dum & dicent nostri desiderium testati.
Heroes ceu pace boni, atq; heroides almæ.

sed elisio etiam ista initio medij versus, quàm indecora. audio docti viri, & omnium Grammaticorum vnanimem vocem; sed parcite propitij; &, aut illos, quorum libertatem me amulari professus dico, hoc non feciſſe probate; Catullum, Horatium, imo ipsum adeo Virgilium, vt reliquos mittam; aut me quoque absoluite. sin imitatus in spondaicis licentiam istorum Catullianorū;

Phasidos ad fluctus & fines AEeæos.
Regia, fulgenti splendent auro atq; argento.
Nam tum Helenæ raptu primores Argiuorum.
Quale ferunt Graij Peneum Cyllenæum.
Qui te lenirem nobis neu conarere. sin dico

imitatus ex parte hæc Catulliana Virgilius, ne hoc quidem fugit, quin ad exemplum istorum quoque Catulli versuum:

Cum interea infirmo quatientes corpora motu.
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium
Ne amplius a misero dona beata petas.
Qui vt nihil attingat, nisi quod fas tāgere nō est.
Me vnum esse inuenies illorum iure sacratum.
Dum aduentu matris prosilit, excutitur.
Tum omnibus vna omnes surripuit Veneres.

eaneret in bucolicis;

Si ad vitulam spectes nihil est quod pocula laudes

sin Horatij ista sunt:

Si interdicta petes, vallo circūdata (nā te &c.
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra &c.

Nam

Nam vt quisq; insanus nigris medium impediit
crus &c.
Cum assectaretur: nūqd vis? occupo. at ille &c.
Cum Ilionam edormit Catienis mille ducentis.
Rem imperito, ac, si cui videor non iustus, inulto
&c.
Dum ex paruo nobis tantundē haurire relinquas.
Nam vt ferula cedas meritum maiora subire.

sin omnia hæc auctoritatem dant hic audaciæ nostræ; quid est quod tantopere accuser, si principibus istis poëtarum fretus, vulgus plorare iubeam? nam, ne coactus feciſſe videar, ecce quam nullo labore, si in hac re laborasſem, euitari hic à me omnis reprehensio potuerit: Versus omnes mei criticorum hac propter obolis obnoxij futuri, hi sunt:

Quem aduersis tuitur Calliopea oculis.
Te illustrans studij sedulitate sui.
Tam assiduè impensæ sit tibi quondam operæ.
Dum & dicent desiderium absentum testati
Qui ad Genium sapiunt Musarum & rite quot-
Dum illam tam solido præcipuoq; beas (annis
Ne illum fors pigeat gratuito esse pium.
Pro impenso pretium munere grande tulit
Te æternum haud vna voce loquetur opus
De ambiguis lacrimarum arguar indicijs
Cum interea infelix alienæ crimina culpæ &c.
Quo amburor lacrimæ, quæ ceu de fonte perenni
Da ætati vt Phœbum cernat & illa suum.

quos ego quam nullo negotio, excepto vltimo, omnes sic commutare potuerim, si collibuisſet, consiederent, quibus est operæ:

Quem toruis tuitur Calliopea oculis.

Te

Te ſtudij illuſtrans ſedulitate ſui.
Aſsiduè inpenſæ ſit tibi quondam operæ.
Dicenteſque ſuum deſiderium teſtati.
Qui ſapiunt genium ad Muſarum & rite quotannis etc.
Tam ſolido illam dum præcipuoq; beas.
Illum ne pigeat gratuito eſſe pium.
Exorata diu quiſquis dat munera, iam pro
Impenſo pretium munere grande tulit.
Hoc tantum, hoc te, inquam vt vates tua facta
ſilerent
Aeternum haud vna voce loquetur opus.
De dubijs lacrimarum arguar indicijs
Cum tamen infelix alienæ crimina culpæ &c.
Quo carpor, lacrimæ, quæ ceu de fonte perenni.
Exemplumq; tui hæc pertæſus ſæcla futuris
Da, Phœbum vt cernant tẽpora & illa ſuũ

ſanè potueram hic effugere, vt videre eſt, litteratorum quorundam criminationem; ſed non fuit res mihi tãti vt nec dicere fugi:

Vt pelagi fugiat hiſpida monſtra deos. &
Ad rem care bene quam moriare facit,

rurſus Cernit de te omnis Hiſpania Gallia & ipſa & c. ac Tu nos tu patria tu tu inquam Belgica vitam cum interpolare poſſem illa quidem:

Vt pelagi fugiat turpia monſtra deos.
Ad rem ſed recte quã moriare facit. iſta autẽ:
De te decernunt Hiſpania Gallia & ipſa &c.

Tu nos tu patria heũ tu tu inquã Belgica vitã etc. ſed nec illud mihi relligioni fuit vt obſeruarem, quod quoſdam video, poſitionem illam impropriam quam dicunt Grammatici: quæ accidit in dictionibus diuerſis

sis. audacter igitur scripsi, posuique

Huius præcipuè in virtutis ERASME *stuporẽ &*
Este stryges procul hinc & vos obscena valete
&c. ac rursus.

Exsiccare sciphos, crebros deplere trientes.

quod Virgilium, Propertium, Catullum, Ouidium, Lucanum, inprimisq; Horatium adeo hoc non refugisse viderem vt exempla hæc nobis, & quæ plura inquirere curiosi erit, reliquerint:

Virg. Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos
Catul. Testis erit magnis virtutibus vnda Scamãdri
Luca. Taleis fama canit tumidũ super æquora Xerxem
Hora. Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantẽ
Si quod sit vitium, non fastidire strabonem
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ.

quæq; pluribus persequerer, nisi reuocari me eorum vocibus tantum non audirem, qui æquiores in hac re mihi; illud contra non possunt concoquere; crebrioribus passim elisionibus, Pentametris in dictionem trisyllabam, quadrisyllabam, &c. desinentibus; suspensionibus, & sustentationibus sententiæ in 3. 4. 5. 6. & c versus; similibusq; licentius me vti, quã scholarũ canones permittãt. sed in his talibus audiente tota Orbiliorum gente dicã,

Res est sine lege poësis.

Non probo hoc vobis ò boni? quid ad rem? ne vos quidem omnia mihi vestra probatis. sit igitur par hic vtrorumq; cõditio; liceat liberè & vobis à me, & mihi à vobis dissentire: aut alioqui, Bruto aliquo contra nouos istos in rep. literaria Tarquinios opus erit. quo in dicto desinerem, nisi viderẽ hæc quoque criticis obnoxia, de quibus etiam nunc quam potero breuissimè dicam. modulo secundæ syllabæ vocis IVSTINIANE *abusus*

sum

ſum ſed neceſſario, & non ſine exemplo elegantiſsimi noſtri ævi, noſtræq; Belgicæ poëtæ, qui cū parū abeſt quin errare, quam cum multis alijs ſapere mauelim. quod idem de THVCYDIDEM *dictum volo. nam quod* MOSAE *priorem corripi etiam debere litteratores clamant; mihi, cum Græcis per ω huius fluuij nomen ſcribatur, probare numquam poterunt. illud potius excuſatum illis volo quod ſecundam in valefactis corripui, Virgilij auctoritate, cuius eſt illud in ſimili re:*

Frigore mella.

Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit. iam vocatiuum

illum Genie pag. 44. ne excuſo quidem cum propriè hæc mihi hic vox vſurpetur; cupioq; interpolari totum diſtichon hoc modo:

Tuque Geni, ante alios cuius celebramus honores,
Da precor in verbis pondus ineſſe meis.

Sic & pag. 136. quibus Ciceronis, IVSTINI, *aliorū item exemplo vocem* GYGES *per tertium ordinem inflectere conſultius videbitur,* GYGIS *pro* GYGAE *reponere poterunt; reliqua corrigenda planè & nullo modo ignoſcenda, hæc fere ſunt; plæraque typographi, nonnulla etiam noſtræ incuriæ imputanda: Prior numerus paginam; poſterior quotus eiuſdem paginæ verſus emendandus ſit tibi deſignat.*

ERRATA.

fol.1.lin. 11. Corrige *fruſtraq; oratur.6.17 ſæpè atq;.7.3. Dignum & te.* ibidem. *verſu 11. ex ima. 9.2. auribus illud.13.1. tibi vita fluat;* ibidem 6. *dI vtinam* 15.8. *iuit Hyperboreos. 16. 22. Lyſippi.* ibidem 29. *& docili* 21.26. *Thuſcæ aut* 26.29. *ſuperare ducentis* 30 8. *Quis, vt plena trias tibi ſit, iunge AEſchilum, habes hic Quidquid habet Latium,* 35.12. *cedere damna* 37.18. *Quæque alias* 48.20. *ſalesq; aberant.* 57.14. *Franconicæ decus ô gentis* 74.16. *Terror, vicino* 75.16. *Quæque tuo;* 76. *Iudicibus iunctus* 78.5. *nefas opibus* 79.13. *pontus, & æthra tenent,* 87.3. *AEui cui Treuir famulatur diuiti, & auri,* 92.1. *Nubilus en* 93.28. *Balæna aſt aliqua, aut inmanis ſemine priſtis.* 94.9. *quæ tunc incertum* ibidem 27. *Alcimedon verbisq; obiurgat amicis.* 105.10. *Iuppiter auctet opes.* 108.20. *Ingenuo ſanctus* 118.19. *amat Anna tuum* 119.5. *REVSNERI ſymbolum* 122.1. *protinus vt te* 124.23. *IANVM GVLIELMIVM*

Digitized by Google

Digitized by Google